Bibliothek
£ 800
204.23.E.15

BIBLIOTECA NAZ. CENTR. VITT. EMAN. II
204
23 E
15
ROMA

14.23.L.14

204·23-E·15

L. CÆLII LACTANTII
FIRMIANI
CARMINA OMNIA,
QUÆ EXTANT

RECENSUIT, VARIANTIBUS LECTIONIBUS, ANNOTATIONIBUS, CASTIGATIONIBUS, AC DISSERTATIONIBUS ILLUSTRAVIT

FR. EDUARDUS A S. XAVERIO C. E.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE

ROMÆ, cIↃ.IↃcc.LIX.
EX TYPOGRAPHIA JOSEPHI, ET NICOLAI GROSSI
IN ÆDIBUS DE MAXIMIS.

SUPERIORUM PERMISSU.

Anima noſtra quum hoic eſt in iſta carne, inter tentationes, & pericula ſæculi hujus, adhuc eſt infirma: Habet etiam ſolatia verbi, ſolatia Orationis, ſolatia diſputationis.
S. Auguſt. Enar. in Pſal. LXII.

FR. EDUARDUS
A S. XAVERIO C. EXCAL.

JOSEPHO MARIÆ FRANCESCHINIO, GERMANI

FRATRIS SUI FILIO CHARISSIMO

S. P. D.



QUam ante fauſtiſſimam Reparatoris Noſtri Jeſu Chriſti natalem diem de more felicitatem es

mihi adprecatus, tibi ex animo pleniſſimam remitto, CHARISSIME JOSEPH, infantem divinum, verum parentem noſtrum, ac Dominum enixe rogans, ut Te talem efficiat, qualis ut eſſes futurus, tantis hactenus & naturæ, & gratiæ cumulavit beneficiis. Utinam votis, precibuſque meis beneficentiſſimus Cæleſtis Dominus, bonorum omnium author, atque largitor munificus annuat: Tuque donis ejus ad eum finem utaris aſſequendum, ad quem ille Te genuit, Te reparavit, Te incolumem ſervat. Jam enim nunc felix eſſes quantum, qui maximis

in hac mortali vita donantur bonis, felicior futurus, quandiu per arduas virtutum, bonorumque operum ſemitas ad immortalem gloriam properare non deſinas.

Scis, ut arbitror, te a me unice diligi, nec minus aliquod propterea bonum tibi deſideri, quam illud, quo majus aliud potiri vix queas: Eo tamen te magis a me amatum iri credas, quantum in excelſo virtutum, bonarumque artium ſtadio, ac diſciplina ante æquales tuos Te noverim alacriter, expediteque proficiſci; & quamquam amor iſce meus parum tibi prodeſſe poſſit, tametſi ve-

hementiſſimus, quum inops ſim & impos, ac propterea nihili; non tamen inutiles tibi omnino erunt ab eo exorientes cohortationes meæ, quas ſtrenarum loco mea tibi tenuitas mittit: iis quippe eo fidentius auſcultare poteris, quo certior es ab eo ad te dirigi, a quo nonniſi proficua tibi optari jampridem noſcere debuiſti.

Age igitur, & ea cogita, ac animo ſæpe recole, quæ cogitare decet ingenuum adoleſcentem ad pubertatis annos properantem. Nimirum quæ ad ſagratiſſima Chriſtianæ Religionis myſteria, cum credenda, tum veneranda, ac etiam cum

tem-

temporalium omnium bonorum diſcrimine tuenda, quomodocumque pertineant; his ſiquidem ignoratis, aut poſthabitis, nec opes, nec honores, nec ſcientiæ, nec rerum quarumcumque copia quicquam boni, quod verum, diuturnumque ſit, afferre poſſe, habeas pro explorato. Deo ſemper reddas, quod ſuum eſt, eique omnino fide, a quo & quæ habes bona cuncta accepiſti, & ſine quo nihil hujuſmodi, nec melius aliquid es aliquando accepturus. Cole eum ſincero corde, illumque ſuper omnia dilige, mandata illius quam diligentiſſime ſervando, quoniam

æternæ vitæ præmio, jure, meritoque digna cenſentur.

Cælites omnes, qui illi adſtant, beatos ſpiritus, tuumque in primis tutelarem Angelum, ſanctoſque Viros religioſo cultu obſerva, beatiſſimam Virginem Deiparam præ Cæteris venerando, ac poſt ipſam ſanctiſſimum ſponſum ejus, quorum nactus es nomina, aliis omnibus, uno Jeſu nomine, præſtantiora.

Parentes, Magiſtros, Præſules, majoreſque omnes ex animo honora, atque ab eis propria diſce inſtituta, quæ ad pietatem pertinere noveris; neque aliquando ullum homi-

nem, ſive æqualem, ſive inferiorem tuum ſupercilio, conviciisve deſpicias, quoniam humanæ viciſſitudines in tali ſunt volubilitate conſtitutæ, ut ſæpe contingat, eos ſummis, perfectiſque viris ante, & ſupra longe conſtitui, quos non raro infra ſe, aut a latere videbant incedere: illoſque, a quibus odio olim habebantur iniquo, amicos mox evaſiſſe conjunctiſſimos: contra vero amicorum plurimos, etiam non data Cauſſa, in hoſtes infenſiſſimos eſſe converſos.

Tuis affectibus fac, ut ſemper ratio, divinis, humaniſque legibus imbuta, ſic imperet,

ut nullo valeat conatu in præceps trahi, aut a ſanctioribus juſtitiæ, ac prudentiæ ſemitis abripi. Niſi enim eis frena injicias, quum facile moderari poſſunt, fruſtra deinde eos coercere præſumes. Hæc, uti ajebam, pro ſtrenis, feſtis hiſce diebus dari ſolitis, accipias velim, quibus libellum adjicio Lactantii noſtri Carmina, a me illuſtrata, typiſque edita continentem.

Tria is poematum genera exhibet, quorum primum centum trimetris ænigmatibus mentem tuam jucundiſſime recreare, inſtruere, ſimul atque acuere debere, non vana arbi-

tror

tror conjectura: eo vel maxime, ſi cogites, ea ab adoleſcentulo Lactantio extemporali actione fuiſſe compacta; excitatur ſiquidem humanus animus, quum ab æquali ſuo vel tacite provocatur. Hinc quippe Julius Cæſar quum Gades perveniſſet, animadverſa apud Herculis templum M. Alexandri imagine, ingemuiſſe fertur: quaſi pertæſus ignaviam ſuam, quod nihil hactenus a ſe actum eſſet in ea ætate, in qua ille orbem pene terrarum ſubegerat, miſſionem honeſtam continuo efflagitavit ad captandam quam primum magni alicujus facinoris occaſionem.

Secundum in hocce libellõ locum dedimus Lactantiano *de ortu, obituque Phœnicis* poemati, ex quo, ſi verſibus delectaris, exemplum deſumas perfectæ poeſis; ceu picturæ ad imitationem propoſitæ. Quod ſi veriſimilitudinibus non duceris, id tibi perſuadeas, quod veriſſimum eſt: nempe in Phœnice unumquemque hominem adumbrari, poſt cineres ad perennem vitam rediturum, & ſecum id omne afferentem, quod in hoc caduco corpore vivens congeſſit, ſive præmio dignum, ſive pœna.

Carmen de Paſſione Domi-

ni Noſtri Jeſu Chriſti libellum complet, quod uberem tibi meditandi materiam ſuppeditabit, eoſque in corde excitabit affectus, quos immenſa erga nos Reparatoris noſtri charitas jure repoſcit. Hiſce ergo ſalutaribus conſiliis adverte animum, & infracto ſemper ſpiritu ad majora contende. Rogo demum, ut bene valeas.

FR.

J. ✠ M.

FR. RAYNALDUS MARIA A S. JOSEPH *Præpoſitus Generalis Carmelitarum Diſcalceatorum Congregationis S. Eliæ Ordinis Bmæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo, ac ejuſdem Sacri Montis Prior.*

TEnore præſentium facultatem impertimur Reverendo Patri Eduardo a Sancto Franciſco Xaverio Sacerdoti Profeſſo Provinciæ Noſtræ Romanæ imprimendi Opera omnia Lactantii Firmiani cum notis, & Diſſertationibus ſuis a duobus e noſtris Theologis, recognitis. Datum Romæ in Conventu noſtro SS. Thereſiæ, & Joannis a Cruce pridie Kalendas Decembris 1753.

Fr. Raynaldus Maria a S. Joſeph.
Præpoſitus Generalis.

Fr. Pius a S. Dominico Secretarius.

IMPRIMATUR.

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro.

F.M. de Rubeis Patriar. Conſtantinop. Viceſgerens.

APPROBATIO OPERIS.

DIvinarum Inſtitutionum Libros ſeptem a Caelio Lactantio Firmiano acri judicio conceptos, ſtyloque eleganti exaratos, atque unico volumine comprehenſos, poſt tot editiones ab aliis exornatos, modo in lucem publicam profert Admodum Rev. Pater Eduar-

Eduardus a S.Xaverio Carmelitici Ordinis Diſcalceati Alumnus, quondam Sacræ Theologiæ Prælector, atque inter Supremæ Sac. Inquiſitionis Cenſores adſcitus, notis auctos eruditione multa cum Sacra, tum profana refertos, ac in ſeptem tomos diſtinctos: quos Jubente Reverendiſſimo Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro Patre Joſepho Auguſtino Orſi Ordinis Prædicatorum, magno animi mei oblectamento a capite ad calcem uſque ſedulò luſtravi, attentèque inſpexi, nihilque, quoad eruditum Editorem attinet, invenire potui, quod Fidei adverſetur Catholicæ, boniſque moribus ſit contrarium, ac in Summos Principes injurium. Ubi ſe offert occaſio clariſſimus Author Veræ Fidei inconcuſſa dogmata, atque Sanctæ Eccleſiæ vetuſtos ritus vindicat, ac tuetur, a deliriis, & impoſturis Eterodoxorum, quos ſic impiè obloquentes charitativè admonet, ac blande adhortatur, ut relicta via, quæ ducit ad Tartara, eam ineant, quæ iter pandit ad gloriam. Imo ſi in Textu Lactantiano aliquid offendit, quod ad juſtam Fidei regulam non ſit exactum, vel a Fide ipſa exorbitet, fatetur aperte, aſſeritque, Lactantium in Millenariorum errorem prolapſum, eumdemque erraſſe in libro in ſcripto *de Vita Beata*, ubi loquitur de Elia, nulla prorſus mentione facta de Enoch contra librum Apocalypſeos. Quod in aliis approbationibus librorum a noſtro Authore editorum abſque ulla aſſentationibus umbra me dixiſſe, memini, idipſum repetere, ac confirmare in hacce præſenti jure debebam. Sic ſentiebam ex Ædibus S. Patris Franciſci ad Ripas Tybe. ris octavo Kal. Septemb. anno reparatæ ſalutis ſeptingenteſimo quinquageſimo quarto ſupra milleſimum.

F. Franciſcus Antonio a Colle-Longo Ordinis Minorum Stricti oris Obſervantiæ S. P. Franciſci Sac. Theologiæ Lector emeritus, ac Sacrorum Rituum Congregationis Conſultor.

Quod

APPROBATIO OPERIS.

QUod auctoritate Sac. Palatii Apostlici Magistri, injunctum mihi fuerat, perfeci, maxima. qua potui, scilicet, diligentia perlegens, Commentaria, & Dissertationes, quæ in singula Lactantii Firmiani opera elaboravit vir eruditione præstans Pater Eduardus Franceschini a S. Francisco Xaxerio excalceatus Carmelita. In his, magna animi voluptate, ingenii acumen, doctrinæ robur, scribendi elegantiam, argumentorum vim, & copiam, atque facundiam inspexi; neque quidpiam, ullibi, observare mihi licuit, quod Catholicæ Fidei, honestisque moribus repugnaret: quare si, publici juris fiant arbitror plurimam inde, legentibus utilitatem provenire posse. Romæ ex Monasterio S. Agnetis extra Muros Urqis die XV. Aprilis anni 1754.

D. Thomas Rita Præses, & L. Emeritus.

ERuditione, Doctrina, Methodo, Diligentia, cæteris que Dotibus, quæ Authorum scripta commendant, abunde coruscant Commentaria, & Dissertationes, quæ in omnia Lactantii Firmiani Opera Vir Cl. P. Eduardus Franceschini a S. Francisco Xaverio elucubravit, & non vulgari cum sui Nominis Gloria editurus est. Quapropter quum jubente Reverendissimo P. Mag. Sac. Pal. Apost. Opus integrum attente perlegerim, & nihil in eis, quod Fidei Dogmatibus, aut morum integritati adversetur, invenerim, Typis vulganda censeo. Romæ ipsis Kal. April. Anni 1754.

Michael Joseph Morei Archadiæ Custos Generalis.

IMPRIMATUR.

Fr. Vincentius Elena Magister Socius Rmi Patris Sacri Palatii Apostolici Mag. Ord. Prædic.

L. CÆ-

L. CÆLII LACTANTII FIRMIANI SYMPOSIUM

OLIM INSCRIPTUM SYMPOSII POETÆ AENIGMATA CENTUM

PROLOGUS.

Hæc quoque Sympoſius de Carmine luſit inepto;
Sic tu, Sexte, doces; ſic te deliro Magiſtro,
Annua Saturni dum tempora feſta redirent
Perpetuo ſemper nobis ſolennia ludo.
Poſt Epulas lætas, poſt pocula dulcia menſæ
Deliras inter vetulas, pueroſque loquaces,
Quum ſtreperet late madidæ facundia linguæ;
Tum verboſa cohors ſtudio ſermonis inepti
Magno, neſcio quas, paſſim de Carmine nugas
Eſt meditata: Diu ſic frivola multa locuta eſt.
Nec mediocre fuit magni certaminis inſtar,
Ponere de verſu, vel ſolvere quæque viciſſim.
Aſt ego ne ſolus fœde tacuiſſe viderer,
Qui nihil attulerim mecum, quod dicere poſſem:
Hos verſus feci ſubito de Carmine. Voces
Inſanas inter ſanum non eſſe neceſſe eſt.
Da veniam, Lector, quod non ſapit ebria Muſa.

NOTÆ, ET CASTIGATIONES.

1 *Hæc quoque*: Neque in omnibus, neque in ſingulis Mss. Codd., aut typis editis libris, iſta hæc duo priora Carmina leguntur; nam iis carent Pithoei, ac Perionii Codices Mss., ſimulque Vaticani duo. Nonnulli ea una cum hujuſce prologi aliis poſt ænigma centeſimum exhibent; quidam vero aliquo ex modis ſequentibus legunt.

Hic quoque Sympoſius &c.

Hoc quoque Sympoſium.

Heumanno aliquando ſuppoſititia ambo viſa ſunt; ſed poſtmodum pro genuinis recepit; quamquam utrumque ſic immutaverit;

Hoc quoque Sympoſium luſi de Carmine inepto.

Sic me ſicca docet, Sicca deliro Magiſtra.

Anſamque Bunemanno præbuit ut & ipſe reſcriberet:

Hoc quoque Sympoſium de Carmine Lucii inepto:

Hæc quoque Sympoſii de Carmine Lucii inepto:

Quibus præivit Geſnerus legens:

Hoc quoque Sympoſium de Carmine luſus inepto:

Nos a Mss. non recedimus. Barthius: *Hæc verba*, inquit, *Hæc quoque: amplam ante hunc libellum editum ſcriptorum copiam deſignat.* Unde ſi Author hujus Operis diverſus a Firmiano noſtro fuiſſet, omnino ignotus non facile remanere poterat.

1 *Sympoſius*. Al. *Symphoſius*. Al. *Symphroſius*. Al. *Sympoſium*. Quum in Ms. Codd. conſtanter legatur *Sympoſius*, nulla eſt ratio quare ab iis quiſquam ſine ratione abeat. Quamquam enim non hoc ſit nomen proprium Authoris, ut a nobis demonſtratum eſt Diſſ. XIV. cap. I., & II.; non ideo tamen aliqua repugnantia in eo eſt, ſi ſcriptor ficto nomine, & ad rem,

rem, de qua erat acturus accomodato, ænigmata iſta vulgare maluit, ut l. c. innuimus; ubi etiam & nominis etymon, & rei per nomen ſignificatæ uſum, expoſuimus.

1 *De Carmine*. Particulam *De* pro *ex* Lactantio paſſim uſitatam reperies in ejus indubitatis operibus: præſertim *de Opif. Dei* cap. v. ſeg. 7 Lib. v. cap. IX. ſeg. 1. &c. Ubi eum vindicavimus a nota *Africitatis*, quam eidem Heum. propter eam inuſſerat in Comment. ad ℣. XII. hujus præloquii, & ad carmen 1. ænig. XCV., quamvis & ipſe ibidem exempla afferat non ſolum Tertulliani; ſed etiam Horatii, Virgilii, Ovidii, Curtii, Nonii Marcelli, & Turſellini Schvvarziani. Vide quæſo Barthium ad Claudian. pag. 1343. & adde exempla apud Bunem. ad Lib. I. D. Inſt. cap. v. num 1. nota (a).

1 *Luſit inepto*: Seu potius *luſus inepto*, ut mavult Geſnerus, verbum Poetarum proprium, unde Virgilius Georg. IV. ℣. 565.

Carmina qui luſi paſtorum, audaxque juventa,
Tityre Tu patulæ: cecini ſub tergmine fagi.

Ovid. Lib. III. Triſt. Eleg. II. ℣. 5.

Nec mihi quod luſi vero ſine crimine, prodeſt.

Plura vide apud Heum. Quod ſi cum Geſnero legas: *luſus*: intellige, hocce Sympoſium eſſe luſum inepto carmine conceptum, ut ipſe quidem explicat, quamvis invita Minerva; en tibi Ovidii exemplum inter innumera, quæ adduci poſſent, ſelectum, quia, & ſequenti voci *inepto* lucem affert. Triſt. Lib. II, pag. 54. ℣. 17.

Luſibus ut poſſis advertere Numen ineptis,
Excutiaſque oculis otia noſtra tuis.

2 *Sic tu ſexte doces, ſic te deliro Magiſtro*: Sic editi

plerique omnes, excepto Heum., qui more suo versum ex integro reformans edidit, ut jam diximus:

Sic me Sicca docet, Sicca deliro magistra;

Jam vides Lector quam infeliciter, ac incomode hæc sit excogitata correctio, quare nihil addo his, quæ in Diss. II. §. VII. observavi. In Mss. Codd. quos vidimus legitur, ut edidimus, quamvis, in Codice Reg. Vat. 155. habeatur:

Sic tus ex te doces ..... deleroque Magistro.

3 *Annua*. Scilicet, singulis annis eadem die recurrentia. Ovidius Lib. x. Metam. pag. 367. ℣ 9.

Festa piæ Cereris celebrabant Annua Matres.

3 *Saturni*. Festa hæc Saturnalia dicebantur, diversis temporibus diverso dierum spatio agitari solita; nam antiquitus unus dumtaxat Saturno, & Opi communis dies festus erat XIV. Kal. Januarias, sub *Opaliorum* nomine, ut in veteri Kalendario Rom. Ideo Ausonius in Carmine de feriis Rom. ℣. XV.

Vis-ne Opis ante sacrum, vel Saturnalia dicam,
Festaque servorum, quum famulantur heri?

Unus Saturnalium dies mansit usque ad C. Cæsarem, & ab illo tres celebrari cœpti sunt, quum is fastos correxisset, additis mensi Decembri diebus duobus; tunc enim Saturnalia a die XVI. Kal. numerari cœperunt; non tamen apud omnes; teste enim Macrobio, Lib. I. Saturn. cap. X. *Ea re factum est, ut quum vulgus ignoraret certum Saturnaliorum diem, nonnulli a C. Cæsare incerto die, & alii vetere more celebrarent, plures dies Saturnalia numerarentur*. Hinc Varro de L. L. *Saturnalia dicta ab Saturno, quod eo die feriæ ejus; ut post diem tertium Opialia. Opis* &c. Attamen etsi lege judiciaria ab Octaviano Augusto sancitum

citum ſit, ut in triduum feriæ iſtæ ſervarentur, ad quatriduum nihilominus vulgi ſeu ignorantia, ſeu potius inſolentia protrhaxit: nec ſatis hoc fuit nam Caligula, ex Svetonio, *ut lætitiam publicam in perpetuum augeret: diem adjecit Saturnalibus, appellavitque Juvenalem*, huncque fuiſſe diem quintum narrat Dio Lib. LIX. qui quamvis poſt Caii cædem abolitus fuerit; ſub Claudio tamen reſtitutus eſt, ut idem Dio refert cap. ſequenti. Demum hiſce diebus alios duos addiderunt, qui *ſigillaria* dicebantur, de quibus idem agit Macrobius ubi ſupra cap. XI., ita ut Saturnaliorum dies ad ſeptenarium proceſſerint; de quo numero idem Saturnus ſic apud Lucianum in Saturnal. §. II. differit cum Sacerdote: *Ego vero conditionibus quibuſdam capio poteſtatem. Septem enim diebus totum mihi regnum finitur*. Ex hactenus dictis omnis difficultas tollitur, quæ ex variis veterum Scriptorum teſtimoniis facile hac in re obtrudi poteſt. Quod ſi ex Novio, ſive Nonio, Atellanarum Scriptore, & ex Mummio, qui eandem artem diu jacentem poſt eum ſuſcitavit, apud Macrobium Lib. I. Saturn. cap. X. dicas, longe ante Cæſarem ſeptem Saturnaliorum dies fuiſſe numeratos; ex eodem Macrobio capite immediate ſequenti patet reſponſio: nimirum: *Ideo Saturnalibus talium commerciorum celebritas cœpta, ſeptem occupat dies, quos tantum feriatos facit eſſe, non feſtos omnes*: Feriæ autem ex Feſto Pompejo, *aliæ erant ſine feſto, ut Nundinæ, aliæ cum feſto, ut Saturnalia, quibus addebantur epulationes ex proventu fœtus pecorum, frugumque*. Dicas ergo apud Antiquiores Romanos ſemper ſeptem fuiſſe feriatas dies Saturno dicatas; ſed primum quidem unum dumtaxat Feſtum, ſcilicet XIV. Kal. Januarias. Poſtmodum

dum tres, deinde quinque, demum ſeptem non ſolum feriantos, ſed feſtos omnes. Vide Lipſium *Saturn.* Lib. I. cap. III. ſeq., & Diſſ. noſtram XIV. cap. I. §. III. ſeqq.

3 *Tempora feſta.* Horat. Lib. II. epiſt. 1. ℣. 139.

Agricolæ priſci fortes, parvoque beati
Condita poſt frumenta, levantes tempore feſto
Corpus & ipſum animum &c.

Et Ovid. Lib. III. Amor. Eſ. x. ℣. 1.

Annua venerunt Cerealis tempora Sacri.

4 *Perpetuo ſemper* &c. Reſpicit fortaſſe verba Svetonii, quæ paullo ſupra recitavimus. Sic Virgilius Ænead. Lib. VII. ℣. 175. ubi de Regia Pici a Saturno per Faunum deſcendentis loquens ait:

. . . . . *Hic ariete cæſo*
Perpetuis ſoliti patres conſidere menſis.

Ovidius de Arte Lib. III. pag. 483. ℣. 17.

Nec ſua perpetuo contendant ilia riſu.

4 *Nobis ſolemnia.* Hinc confirmo quod jam notavi in Diſſ. IV. §. 1. Lactantium noſtrum in ſua adoleſcentia Italiam inhabitaſſe, utpote quia *Tò nobis* heic quandam ſupra cæteros populos in celebrandis Saturnalibus *ludo* perpetuo, prærogativam oſtendit; quam etiam Virgilius in paullo ſuperius laudatis carminibus innuit. Quare enim in *Regia Pici* conſidere ſoliti erant Patres *perpetuis menſis*, niſi ut in excipiendis hoſpitibus, Jano, qui Saturnum, Regno ſuo extorrem, hoſpitio receperat, vicem reddere viderentur? Quare ſibi, ſuiſque, Authori noſtro celebranda eſſe *Perpetuo ludo* erant Saturnalia præ cæteris, niſi quia Italiam profugus Saturnus venerat, & inter Italos Picenæ Gentes ab eo per Picum, Faunumque trahere dice-

dicebantur originem? Vide Diſſ. II. a §. XIII. ſeq.

4 *Ludo*: Ludi vocabulum plurima ſignificat ſatis inter ſe diverſa, & quamquam de factis, potius, quam de dictis intelligi conſueviſſe, aſſerat Valla; nihilominus proprie de utriſque accipi, ad animi oblectationem deſtinatis, docet S. Thomas 2. 2. q. LXVIII. A. II. Gentes omnes ſuos habuiſſe ludos tam publicos, quam privatos, hiſtoriæ teſtantur, de quibus vide Diſſ. XXVII. cap. XVII. §. XI. & Diſſ. XXVIII. cap. IV. §. XVI. ſeq.

5 *Poſt Epulas lætas* &c. En de Sympoſio teſtimonium, quod potius nomen a re adſcitum, quam Authoris fuiſſe dignoſcitur; quum jam quare nomen hocce aſſumpſiſſet, exponere incipiat Poeta.

6 *Deliras inter vetulas.* Cicero l. *Tuſcul.*, & Lib. II. *de Orat.* & II. *de Divinat.* &c. ſæpe *delira anus deliri ſenes*, & Lib. XIII. *ad Attic.* Ep. XXIX. inquit: *ſe ſcire ajebat, ab eo nuper petitam Cornificiam, Q. filiam, vetulam ſane, & multarum nuptiarum.* His fœminis adoleſcentulos credere educandos, ut mos eſt, mihi numquam probatum fuit; teneros enim animos tantis ineptiis infarciunt, ut vix ſummo ſtudio ab illis deinde ſe queant etiam, confirmata ætate, expedire.

6 *Pueroſque loquaces.* Cicer. in Parad. . . *Adoleſcentibus paullo loquacioribus eſt ſerviendum.* Romanorum Adoleſcentium diſciplinam dilucide ante oculos exponit Plautus *in Bacchid.* Act. III. Sc. III. a v. 17.

Nego tibi hoc annis viginti fuiſſe primis copiæ.
Digitum longe Pædagogo pedem, ut effertes domo
Ante ſolem exorientem, niſi in Paleſtram veneras,
Gymnaſii præfecto haud mediocres pœnas penderes.

Id quoi obtigerat, hoc etiam ad malum accerſebatur malum,
Et Diſcipulus, & Magiſter perhibebantur improbi.
Ibi curſu, luctando, haſta. diſco, pugillatu, pila,
Saliendo ſeſe exercebant, magis quam Scorio, aut ſaviis.
Ibi ſuam ætatem extendebant, non in latebroſis locis.
Inde de hippodromo, & Paleſtra ubi veneriſſes domum,
Cincticulo præcinctus in ſella apud Magiſtrum aſſideres:
Tum librum legeres. Si unam peccaviſſes Syllabam,
Fieret corium tam maculoſum, quam eſt nutricis pallium.

7 *Quum ſtreperet late.* Al. *dum* Scilicet inter ſe contendendo; Sic Cicero Lib. I. *de Divinat. Inter ſe ſtrepere.* Virgilius Lib. x. Æn. ℣. 568.

. . . . . *Tot paribus ſtreperet Clipeis*

Et Silius Italal. *Lib.* IV. *Pun.* ℣. XI.

. . . . . *Subituſque per omnem*
Anſoniam mvors ſtrepit, & ciet arma, viroſque.

7 *Madidæ facundia linguæ.* Id eſt *ebriæ*; bene Heum. nam ut ipſe ait Plautina appellatio eſt: *madidus homo*: pro ebrioſo, ſeu etiam *ebrio. Madet homo* pro *ebrius eſt.* Et Phocylides apud Criſpinum pag. 113. *Convenit autem in Sympoſio Scyphis circumeuntibus ſuaviter garrientem, & ſedentem, vinum bibere.*

7 *Facundia linguæ.* Horat. Lib.I. Epiſt. V. ℣.19.
Foecundi calices quem non fecere diſertum?

8 *Verboſa cohors.* Non ſolum ex militum manipulis *cohors* conſtare poteſt; ſed cujuſcumque generis ho-

homines eam poſſunt conſtituere ; ideoque Horat. Lib. I. *Epiſt. III.* ℣. 6.

Quid ſtudioſa Cohors operum ſtruit ? . . . . .

Sic Statius XI. *Thebad. Famula cohors* ait: pro *ſervorum familia* & alibi : *Innuptæ cohortes* : pro *virginibus pluribus* dixit. Sic Alii : *Aligerum glomerata cohors* . . . in Miſcell. Poet. Et Catull. in Camerium *loquela verboſa* &c. Ovid. Lib. I. *Amor. Eleg. xv.* ℣. 5. *Nec me verboſas leges ediſcere.*

10 *Eſt meditata* : Bene Heum. poſt hæc verba, duo puncta apponi juſſit, quum antea lectio eſſet confuſa. Innuit hieic Author jamdiu morem invaluiſſe in conviviis ænigmata ſolvenda proponere vincta numeris oratione ; & quidem apud Athenæum Lib. x. cap. XXII. p. 456. Theognidis ænigma diſticho conſtat.

Ἤδηγάρ με κέκληκε δαλάσσιος οἴκαδε νεκρὸς ;
Τεθνηὼς ζωῶ φθεγξόμενος δόματι .

Jam me domum accerſivit Maximus Defunctus ;
Mortuus quidem ; vivo ſed tamen ore loquens.

Nil ergo mirum ſi puerorum, vetularumque turba magno ſtudio inepti ſermonis diu meditata ſit nugas ænigmaticas, quas de more in Saturnalibus proferret ; non enim facile eſt hujuſmodi carminibus ludere ; quamvis obvium ſit, ut ob ea quiſque ludatur, ſicuti non raro contingere vidimus. Hinc corrigendus eſt Barthius Adverſ. Lib. XXVI. cap. XXVIII. pag. 1218. qui plurima ex Auſonio, Catullo, Martiali, & Sidonio attulit ad oſtendendum, Poetas, quum jocantur, ſuas argutias appellare nugas conſueviſſe ; nam heic non de ſuis ; ſed de aliorum loquitur Lactantius.

10 *Frivola multa locuta eſt* : Ultima vox a nonnul-

nullis abeſt. Scilicet inepta, deridicula, & nihili, ob cauſſam, quam nota ſuperiori tetigimus; Quem locum reſpexiſſe videtur Auſonius *Epiſt.* IV. a ℣. 67. ubi ait de ænigmatibus loquendo, verſibus præſertim comprehenſis:

Et quoniam huc ventum, ſi vis agnoſcere quid ſit;
Inter doctrinam, derideudaſque Camenas,
Accipe congeſtas myſteria frivola nugas,
Quas tamen explicitis nequeas deprehendere chartis.

Nam Theon, cui illa Epiſtola data eſt, hujuſmodi luſibus componendis ita Muſis invitis delectabatur, ut idem Auſonius *Epiſt.* VI. ℣. II. *eidem* reſcripſerit:

Aurea mala Theon; ſed plumbea carmina mittis. &c.

Quædam deinde exempla ſubjecit, quæ etiam novo explicat modo ajens:

Quod ſi figuras fabulis adumbratas,
Numerumque doctis involutum ambagibus,
Ignorat alto mens obeſa viſcere &c.

Ubi vides *doctas* vocaſſe *ambages*, quas antea *frivola* dixerat *Myſteria*, & *nugas congeſtas*.

11 *Magni certaminis inſtar*. Cap. XXI. *de Mortibus Perſecutorum* vidimus quomodo Galerius Maximianus, Imperator peſſimus, numquam *ſine humano cruore cœnebat*; ſed non ejus ſolummodo fuit hæc immanitas; nam in omni fere lætiori convivio mos quondam fuit apud Ethnicos paria aliquot gladiatorum in tricliniis ad pugnam exhibere, ut diſerte narrant Capitolinus in Vero, Lampridius in Antonino. Imo longe antea ex Strabone, & Livio hæc Romani didecerant a Campanis, de quibus Silius Ital. Lib. XI. *Punic.* a ℣. 51. ait: *Quin*

Quin etiam exhilarare viris convivia cæde
Mos olim, & miſcere epulis ſpectacula dira;
Certantum ferro, ſæpe & ſuper ipſa cadentum
Pocula, reſperſis non parco Sanguine menſis.

Inſtar ergo horum certaminum, quæ teſte eodem Lactantio cap. XXI. Lib. I., ignota erant civibus noſtris, hi Antiquorum more, obſcuris, ænigmaticis, atque ingenioſis quæſtionibus ſe provocabant.

12 *Ponere de verſu*. Al. *diverſa*. Al. *diverſe*. Al. *diverſos*: Scilicet proponere, *& ſolvere quæque viciſſim*: Morem hunc antiquiſſimum fuiſſe conſtat ex lib. Judic. cap. XIV. a ℣. 12.; ubi narratur, Samſonem propoſuiſſe XXX. Juvenibus Thamnatenſibus ænigma illud: *de comedente exivit cibus, & de forti egreſſa eſt dulcedo*, in ſeptem diebus ſuarum nuptiarum convivalibus ſolvendum. Sic Regina Saba Salomoni ex Lib. III. Reg. cap. X. ℣. I. Sic Idem Salomon Hiramo Tyriorum Regi, & hic illi, ex Joſepho Lib. I. contra Appionem, feciſſe dicuntur. Ægyptii, ac Pythagorici hiſce ambagibus dogmata ſua alligare conſueverunt ex Clem. Alex. *Strom.* Lib. V. ac demum de Græcis, non ſolum Athenæus, quem ſupra laudavi, Ariſtoph., & Scholiaſt. *ejus in Veſpis*, Euſtat. *in Odyſſ. X.*, Heſych. *in Griphis*, aliique apud Bonfrer. teſtaſti ſunt; Sed Gellius de ſe ipſo Athenis commorante hæc refert: *Saturnalia Athenis agitabamus hilare prorſum, ac modeſte .... Conveniebamus autem ad eandem cœnam compluſculi, qui Romani in Græciam veneramus, quique eaſdem auditiones, eoſdemque doctores colebamus. Tum qui cœnulam ordine ſuo curabat, præmium ſolvendæ quæſtionis ponebat, librum veteris ſcriptoris, vel Græcum, vel Lati-*

Latinum, & coronam e lauro plexam : totidemque res quærebat, quot homines iſtic eramus, quumque eas omnes expoſuerat, rem, locumque dicendi Sors dabat &c. Nec a Romanis mos iſte alienus fuit ; nam Quintilianus lib. I. Inſt. Orat. cap. IV. hunc morem laudat, utpote qui ad informandos adoleſcentulos aptiſſimus ſemper judicatus fuit : *Sunt*, inquit, *etiam nonnulli acuendis puerorum ingeniis non inutiles luſus, quum propoſitis invicem cujuſque generis quæſtiunculis æmulantur*.

12 *Quæque viciſſim*. Al. *quique*.

13 *Foede tacuiſſe viderer*. Id eſt ; ita turpiter, ut aliis de Victoria gloriantibus, ipſe ſolus taceret. Lucretius Lib. v. ℣. 1224.

Ne quod ob admiſſum fœde, dictumve ſuperbe,
Poenarum grave ſit ſolvendi tempus adactum.

Turpe ſane eſt, & adoleſcentibus ingenio prædi-tis, imo, & viris, admodum grave, aliis ſemper provocantibus, aut numquam, aut riducule aliquid reponere ; ideoque Juvenalis Satyr. I. ℣. I.

Semper ego auditor tantum? Nunquam ne reponam,
Vexatus toties? &c.

14 *Quo nihil attulerim*. Scilicet, ex eo quod nihil attulerim. Al. *attuleram* ; ſed male ; nam ut bene advertit Heum. *Tò quo*, aut *qui*, ut ipſe legit, cauſalem vim habet ; quemadmodum apud Cicer. in Orat. pro Quintio. *Non eo dico, C. Aquili, quo mihi veniat in dubium tua fides*.

14 *Dicere poſſem*. Al. *poſſim*.

15 *Subito de Carmine*. Sic interpunge, & deinde legas cum Heum. *voces Inſanas*. Ubi aliqui habent : *Subito de carmine vocis. Inſanos* &c. Quod ridicu-

diculum eſt, & Decembre frigidius. Barth. Adverſ. Lib. XXVI. cap. XXVIII., & Lib. XLIV. cap. XX. omnino legendum putat: *Subito decermine vocis*: Quaſi ad ſignificandam feſtinationem velut interruptæ vocis: *decermen etiam*, ait, *affectat humilitatem, eſt enim* quod purgandæ rei cauſſa *decerpitur*, *ut notat Feſtus*, *& Fortunæ decermina apud Apulejum* &c. At minus recte: ſiquidem nuſquam in ſingulari *decermen* invenias, & *decermina* in plurali, ea ſunt ex Feſto, quæ decerpuntur, abiciunturque purgandi gratia id, quod eſſet depravatum; puta Lolium, Avenam, & id genus alia ſegetibus inimica, Carduos, Lappulas, rubos, camporum morbos extuberantes eleganter dictos &c. Quemadmodum ergo peccaret, qui *decermina* pro ſelecto frumento, ſeu pro purgatis frugibus ſumeret, ita etiam heic contingeret. Servetur ergo: *Subito de carmine*. Id eſt *Carmine ſubitaneo*, *extemporali*, *non meditato*. Quintil. Lib. X. cap. VII. *extemporalis actio auditorum frequentia excitatur*. Et Virgil. Lib. II. *Æn.* ℣. 692.

. . . . . *Subitoque fragore*
Intonuit lævum &c. Sæpe autem apud eundem invenies *De* pro *ex* uſurpatum: E. G. Lib. III. Georg. ℣. 13. *templum de Marmore*. Lib. IV. ℣. 166. *de vimine circlos* &c.

16 *Inſanas inter*. Scilicet inter voces hominum, mulierumque inſanienſium: Scaliger in *Opuſ. Var.* a Caſaubono editis pag. 246. Theognidis Græcum diſticon ſic latine reddidit:

Vinoſum non eſt fas ſiccos inter adeſſe:
Siccum vinoſas inter adeſſe nefas.

Tibullus autem Lib. II. Eleg. I.

....Non

. . . . . *Non feſta luce madere*
Eſt rubor, errantes & male ferre pedes.

Et Horatius Lib. II. *Serm. Sat.* III. ℣. 38.

. . . . . *Pudor inquit Temalus urget*
Inſanos qui inter vereare inſanus haberi.

17 *Non ſapit ebria Muſa.* Al. *non capit.* Al. *nam ſapit.* Al. *ſi non ſapit.* Al. *quod ſapit.* Al. *quid non ſapit ebria Muſa?* Servo lectionem vetuſtiſſimorum Mss. Codd., quæ latina eſt: & antiquo recepta adagio:

Feliciter ſapit, qui aliero periculo ſapit.

Et Martialis Lib. IX. Epig. VI.

Nubere ſi vis Priſco, non miror, Paulla, ſapiſti.
Ducere te non vult Priſcus, & ille ſapit.

AENIGMA PRIMUM

GRAPHIUM, SEU STYLUS.

1. *De ſummo planus; ſed non ego planus in imo.*
2. *Verſor utrimque manu, diverſa & munera fungor:*
3. *Altera pars revocat quicquid pars altera fecit.*

NOTÆ, ET CASTIGATIONES.

Titulus, quo iſtud, & quodlibet ex ſequentibus ænigmatibus inſignitur, in Codd. quibuſdam ita ſcribitur, ut vocalis nulla adhibeatur; ne, ſi quis librum habeat, ſtatim queat intelligere id, quod per eum indicatur, niſi ſimul notitiam characterum mutatorum habeat. Hæc autem in eo conſiſtit, quod loco vocalium ſemper ponitur conſonans, quæ in Alphabeto

beto illorum unicuique immediate ſequitur. Scilicet B. pro A. † F. pro E. † L. pro I. † P. pro O. † X. pro V. Ac propterea titulus ſuprafciri ænigmatis ſic exaratus eſt:

GRBPHLXM, ſeu *STLLXS*

Hoc eodem ſcribendi modo nomen ſuum exhibuit Antonius de Fedricis ad calcem Codicis Ms. Vaticani ſub numero ccxxvi. ut Diſſ. xxxviii. cap. I. §. 1. annotavimus. Joſephus Caſtalio ex eo, quod Suetonius in C. Julio Cæſare dixerit: *Si quæ occultius perferenda erant, per notas ſcripſit; id eſt, ſic ſtructo litterarum ordine, ut nullum verbum effici poſſet: quæ ſi quis inveſtigare, & perſequi vellet, quartam elementorum literam, id eſt, D. pro A., & perinde reliquas commutet*: perperam putavit iisdem fere characteribus Cæſarem uſum fuiſſe; quod quidem falſum eſt: nam Cæſar vocales litteras immutavit, non ſuſtulit; Noſter autem fecit utrumque. In Al. Codd. nonnullis pro titulo legitur *de Graphio*. In Ms. ſolummodo *Stylus*, vel *Stilo*: fortaſſe: *de Stilo*, quod vocabulum heic unice adhibendum contendit Geſnerus, qui putat *Graphium* a Stylo eſſe diverſum, quod probat Heum. ſed fallitur uterque; nam utrumque vocabulum pro eodem inſtrumento, quo veteres utebantur in ceratis tabellis ad characteres efformandos, idem prorſus ſignificabat, & pro *PVGILLARI* promiſcue uſurpabatur. Suetonius *in Julio Cæſare*: inquit: *Cæſar Caſſii bracchium graphio trajecit*. Ovidius Lib. I. *Amor. Eleg.* xi.

Quid digitos opus eſt graphio laſſare terendo?
Hoc habeat ſcriptum tota tabella: VENI.

Plautus vero Bacch. A. iv. Sc. iv. ℣. 63.

Nunc

Nunc tu abi, Piſtoclere, ad Bacchidem, atque effer cito

P. Quid? C. Stylum, ceram, tabellas, & linum.

Tres horum inſtrumentorum imagines heic tibi offert Heum. ex Pignorio *de Servis* pag. 224. & ex Montefalconio Lib. I. Paleog. Gr. cap. III.



Ego vero ſex alias tibi offero ex Muſæis Romanis erutas, quæ altero tanto longiores eſſe deberent, ut prototypos, partim ex ebore, partim ex argeto, aut Chalybe fictos, ad unquem exequarent, ut dicta in hocce ænigmate felicius intelligas:

De



1 *De ſummo planus* &c. Jam vides quomodo intelligi debeat Tò planus in ſumma, non autem in ima parte, ſi ſecundam figuram excipias, quæ utrimque planam habet ſuperficiem. Adde Prudent. Hym. S. Caſſiani M. *Periſt.* a ℣. 2137.

2 *Verſor utrimque manu*. Sic optime cum Caſtal. edidit Heum. Al. *verſor utraque manu*. Al. *verſor utrumque*. Al. *verſus utraque manu*. Cicer. Verr. IV. *Vertit ſtylum in tabulis ſuis, quo facto cauſſam omnem evertit ſuam*. Virgil. Æn. Lib. XII. ℣. 662.

. . . . . *Circum hos utrimque phalanges.*

Ovid. de Arte p. 488. ℣. 7.

Parva tabella capit ternos utrimque lapillos.

2 *Diverſa & munera fungor*. Al. *diverſo & munere*; ſed nihil mutandum: nam & boni Latini habent utrumque, ut bene notavit Bunem. ex Cornelio Nepote, & Tacito: Adde Plautum, & Terentium.

3 *Altera pars revocat*. Hoc eodem ſenſu Ovid. *in Epiſt.* XIII. paullo ante finem:

Sed quid ego revoco hæc! Omen revocantis abeſto.

I I.

ARUNDO.

1. *Dulcis amica Deo, ripæ vicina profundæ;*
2. *Suave canens musis; nigro perfusa colore,*
3. *Nuntia sum linguæ, digitis stipata ministris.*

NOTÆ, ET CASTIGATIONES.

1 *Dulcis*. Quotquot vidimus annotationum in hunc libellum Scriptores putarunt adjectivum hocce arundini tributum esse, quatenus dicitur: *Deo amica*; siquidem *dulcem amicum* Latini dixerunt, quia animi hominum amicitiæ glutino juncti mutuo suavi dulcedine demulgentur. Horat. Sat. III. Serm. I. ℣. 69.

. . . . . *Amicus dulcis, ut æquum est.*

At longe errarunt; Tò enim *dulcis* heic exprimit proprietatem Indicæ, seu potius Americanæ Arundinis, intra cujus tubulos Saccharum gignitur, veteribus male cognitum, nunc usitatissimum. Plin. Lib. XII. cap. VIII. *Saccaron & Arabia fert; sed laudatius India: est autem mel in arundinibus collectum, gummium modo candidum, dentibus fragile; amplissimum nucis avellanæ magnitudine, ad medicinæ tantum usum*. Hinc scite Ovidius Lib. VIII. Metam. cannas ab Arundinibus distinguit p. 290. ℣. 5.

Viminaque, & longa parvæ sub Arundine Cannæ.

Ælianus vero Lib. III. cap. 39. expresse dicit: Indos arundines comedere, & Lucanus Lib. III. V. 237. de iisdem tradit: quique bibunt tenera dulces ab arundine succos. Vide comm. ad Ælianum p. 391. *Variæ hist.*

Ami-

1 *Amica Dei*. Al. *Dii*. Caſtalio mallet *Deis*, & bene; nam in Sacris, atque Sacrificiis Ethnicorum non ſolum; ſed etiam Hebræorum frequens erat uſus muſici inſtrumenti, multiplici ex arundine compacti, ut Bartholinus oſtendit in libello *de Tibiis veterum*. Cæterum, qui lectionem Noſtram retinet, Τὸ *Dei* per *Panos*, ſeu *Pana* exponunt, ſecundum fabulam illam Syringæ, de qua Ovidius Lib. I. Metam. Fab. XIII. à ℣. 17. cecinit:

Panaque, quum prenſam ſibi jam Syringa putaret,
Corpore pro Nimphæ Calamos tenuiſſe paluſtres &c.
Arte nova vociſque Deum dulcedine captum
Hoc mihi concilium tecum, dixiſſe, manebit
Atque ita diſparibus calamis compagine ceræ
Inter ſe junctis nomen tenuiſſe puellæ.

Unde Virgilius Ecl. II. ℣ 32.

Pan primus calamos cera conjungere plures
Inſtituit.

Et Nemeſianus Ecl. I. a ℣. 3.

Incipe ſi quid habes gracili ſub arundine carmen
Compoſitum; nam te calamos inflare labello
Pan docuit &c.

1 *Ripæ vicina profundæ*. Al. *amica ripæ*. Al. *ripæ innatæ profundæ* Al. *nimirum*. Al. *vicina profundæ*. Al. *profuſa*. Al. *perfuſa*. Noſtra autem lectio Mss. teſtimonio nititur; & Statius Lib. VI. Thebaid. ℣. 270.

. . . . . *Pater ordine juncto*
Lætus, arundineæ recubanſque ſub aggere ripæ
Cernitur.

Et Ovidius Lib. VIII. Metam. pag. 290. a ℣. 2. Sic locum deſcribit ubi hujuſmodi frutices naſcuntur:

Concava vallis erat, qua ſe demittere rivi
Aſſuerant pluvialis aquæ. Tenet ima lacunæ

Lenta Salix, ulvæque leves, juncique poluſtres,
Viminaque, & longa parvæ ſub arundine Cannæ.
Adde Varron., Plinium, & Columel. &c.

2 *Suave*. Adverbium eſt Virgilianum Ecl. III. ℣. 63.

. . . . . *Et ſuave rubens hyacinthus.*

2 *Canens Muſis*. Id eſt: *Carminibus*. Sic Virgilius Ecl. III. ℣. 60.

Ab Jove principium Muſæ

& Ecl. I. v. 2.

Silveſtrem tenui Muſam meditaris avena.

2 *Nigro perfuſa colore*. En quinta arundinis proprietas; Scilicet quum ejus culmis utimur ad ſcribendum. Unde Quintilianus: *Calamum* dixit *intigere* de ſcribente. Et Cicer. ad Attic. Lib. VII. *quum inſtituiſſem ad te ſcribere, calamumque ſumpſiſſem* &c. Et Perſeus Satt. III. a ℣. XI.

Inque manus chartæ, nodoſaque venit arundo.
Tunc quæritur craſſus calamo quod pendeat humor
Nigra quod infuſa vaneſcat ſepia lympha:

ex ſepiæ enim atro liquore atramentum confici conſueverat.

3 *Nuntia ſum linguæ*. Id eſt, ut bene notavit Heum. ubi ob abſentiam ejus, quem alloqui quis vult, linguæ nullus eſt uſus, ego, tamquam vicaria ſeu *nuntia* ipſius linguæ adhibeor *digitis ſtipata miniſtris*. Ovidius lib. v. *Triſt.* Eleg. XIII. a ℣. 29.

Sic ferat, ac referat tacitas nunc litera voces,
Et peragant linguæ charta, manuſque vices.

Ac in Epiſt. Leandri ad Heronem ℣. 24. de ſua dextera manu dicit:

Eſt tamen & ſenſus apta miniſtra mei.

Al. legunt: *digitis ſignata magiſtris*. Al. *magiſtri*; ſed nihil mutandum judicavimus.

III. AN-

III.

ANNULUS CUM GEMMA, ſeu ANNULUS SIGNATORIUS.

1. *Corporis extremi non magnum corpus adheſi:*
2. *Ingenitum dicias: in pondere nemo gravatur;*
3. *Una tamen facies plures habituram figuras.*

NOTÆ, ET CASTIGATIONES.

Annulo Codicillos ſignare ſolitos fuiſſe veteres, comperta res eſt, & innumera ſuperſunt non minus antiqua, quam certa, & explorata aſſeverationis hujus documenta. Cicero in Lucullo, ſeu IIII. Academ. *Quid ſi in ejusmodi cera centum Sigilla hoc annulo impreſſero?* Livius lib. I. cap. XI. eum vocat *annulum gemmatum*, quia in ipſa Gemma adeſſe debebat imago, qua cera obſignaretur, ut Curtius lib. VI. cap. VI. ait: *Literas veteris annuli gemma obſignabat.*

1 *Corporis extremi.* Mallem *extremo*: ut ſenſus eſſet: Ego quod non ſum corpus magnum, adheſi extremo corporis, nempe annuli, vel digiti extremæ parti; nam & de Gemma, quæ annullo alligatur, & de annulo gemmato, quem digitis induimus, ænigma hoc poteſt intelligi; quemadmodum Gemma, & annulus ſignatorius pro eadem re uſurpantur. Valer. Max. lib. VIII. cap. XV. ait de L. Sylla: *Annulo quo ſignatorio utebatur, ſculptam illam traditionem haberet.* Et Ovidius X. Metam.

Dat digitis gemmas &c. Pro adhæſi. Al. *inhæſi.* Al. *adhæſit.*

2 *Ingenitum dicas.* Id eſt non arte inſitum; ſed na-

natura ibidem genitum. Ab *ingigno* derivata vox, qua uſus eſt Cicer. Lib. v. de finibus. Columel. lib. III. cap. VII. Plin. *Ingentum corpori eorum virus exitiale ſerpentibus*. Et Ovidius ad Piſon. ℣. XXI.

. . . . . *Ingenitæ ſtat nobilitatis in illo*
Pulcher honos &c.

3 *Una tamen facies*. Scilicet una gemmæ ſuperficies inſculpta plurimas imprimens figuras. Confer, quæ ex Cicer. diximus ad explicationem tituli ex lib. IV. *Quæſt. Academ.* non ita, ut voluit Bunem., *quia* ſcilicet *in illa facie extaſſent multæ figuræ inſculptæ*; ſiquidem vidi plurimos hujuſmodi annulos, una dumtaxat imagine inſignitos. Et Sueton. in Octaviano Auguſto ait: *In diplomatibus, libelliſque, & epiſtolis ſignandis, initio Sphinge uſus eſt. Mox imagine M. Alexandri; noviſſime ſua; Dioſcoridis manu ſculpta, qua ſignare inſecuti quoque Principes perſeveraverunt. De his annulis egit Kirchmannus de Annul.* cap. XIII., & S. Iſidor. v. *Annulus ſignatorius*.

IV.

CLAVIS.

1. *Virtutes Magnas de viribus affero parvis:*
2. *Pando Domos clauſas, iterum recludo patentes:*
3. *Servo domum Domino; ſed rurſus ſervor ab ipſo.*

NOTÆ, ET CASTIGATIONES.

1 *Virtutes magnas*. Al. *virtutes multas*: *Præ ſe virtutem ferunt*: ait Quintil. lib. II. cap. XIII. *Inſt. Orat.* Heic autem magnas virtutes clavis afferre dicitur,

tur, quia per clavium traditionem mos erat antiquis, dominium transferre, & poteſtatem ejus rei, cujus clavis tradebatur. E. g. urbium victoribus, domus emptori, rei familiaris uxori &c. Vide apud J. Conſ. in Titul. *de Acquir. Rer. Dominio*. Hinc de Domino Noſtro Jeſu Chriſto Apocal. III. ℣. 7. dictum eſt: *Aperit, & nemo claudit, claudit & nemo aperit*: ſcilicet Domum David, cujus clavem cum hac poteſtate, ſe ei Deus daturum ſpoponderat Iſaſ. XXII. ℣. 22. Similique phraſi idem Chriſtus dixit Petro Matth. XVI. ℣. 19. *Tibi dabo Claves Regni Cælorum, & quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in Cælis* &c. Ethnici Janum cum clavi in ſiniſtra manu figurabant, putantes eum non ſolum novo anno januam aperire; ſed etiam quia Belli, & pacis tempora ab ejus Templi foribus vel clauſis, vel recluſis deſignabantur. Ovid. Taſt. lib. I. pag. 428. ℣. 5.

Ille tenens dextra baculum, clavemque ſiniſtra.

Et paullo poſt

Et clavem oſtendens, hæc, ait, arma gero.

1 *De viribus affero parvis*. Al. *divitibus affero parva*. Admodum plerumque parvæ erant Antiquorum claves, quarum conſpectus heic exhibemus, ut intelligas, res pretioſiores, in arculis aſſervari ſolitas, non niſi parvis; multa tamen arte ſuiſſe ſeris obfirmatas, modicis clavibus reſerandas: unde Germanicus in Prognoſticis ait:

Qualis ferratos ſubjicit clavicula dentes,
Succutit & foribus producit vincula clauſtri.



1 *Pando domus clauſas &c.* Virgil. lib. x. *Æn.* ℣. 1. *Panditur interea domus. . . .*

2 *Iterumque præcludo patentes.* Al. *fecludo.* Al. *concludo.* Al. *recludo*; ſed nihil immutandum. Ovid. lib. I. Metam. p. 38. V. 9.

. . . . . *præcluſaque janua læti.*

3 *Servo domum Domino*: *ſed* apte ſubditur: *rurſus ſervor ab ipſo*: Niſi enim bene, cauteque ſervetur, facile fures, & qui furtim alicubi irrepere tentant, illam adulterantur; Ideoque Ovid. *de Art.* lib. III. pag. 502. V. 7.

Nomine quum doceat quid agamus, adultera clavis.

V. CA-

V.

CATENA.

1. *Nexa ligor ferrò multos habituta ligatos.*
2. *Vincior ipſa prius; ſed vincio vincta viciſſim:*
3. *Exolvi multos; nec ſum tamen ipſa ſoluta.*

NOTÆ, ET CASTIGATIONES.

1 *Ligor ferro*. Catena diu ſervorum manibus plerumque levis pendebat; ſed nocte ne a cuſtodia poſſent ii aufugere, ea taliter ligabantur, ut poſtrema pars illius muro eſſet illigata, altera vero manum, pedes, & interdum etiam collum eorum ita ligaret; ut tamen officia quædam poſſent peragere: puta claudere, aut aperire domum &c. Hinc Columel. Præf. *de R. R.* n. 9. Lib. I. *A catenato repulſum cuſtode*, ait, & Ovidius Amor. lib. I. El. VI. V. 1.

Janitor, indignum, dura religate catena
Difficilem, moto cardine, pande forem!

1 *Multos*. Al. *multas*. Interdum una, eademque catena in longum protracta, plurimis diſiſjunctis intervallis alligabantur ſervi.

2 *Vincior ipſa prius*. Scilicet alligor muro, vel loco ſatis obfirmato.

3 *Exſolvi multos*. Scilicet, liberos dimiſi Plaut. *Truculen. Act.* IV. *Sc.* III. V. 10. *vinclis exolvemini*: & Tacit. *Hiſt* lib. III. cap. XII. *exoluta ſtatim vincla* &c. Al. *& ſolvi*.

VI.TE-

VI.

TEGULA

1. *Terra mihi corpus, vires mihi præstitit ignis;*
2. *Estque domus tecto sedes mihi semper in alto;*
3. *Et me perfundit, qui me cito deserit humor.*

NOTÆ, ET CASTIGATIONES.

1 *Terra mihi* &c. Omnibus fictilibus hocce Carmen commune est, siquidem singula figulorum opera ex terra fiunt, & igne tosta durantur. Tegularum autem inventor quemdam Cyniram, Agrippæ filium fuisse tradidit Plin. lib. VII. cap. LVI.

2 *Estque domus tecto sedes mihi*. Variat in aliis editis, atque Mss. iste versus:

E. g. *Alta domus quæro; sedes est mihi semper in imo*

Al. *Alta domus quærit; sedes est semper in imo*

Al. *Est sedes in alto, sedes est semper in imo*

Al. *Est sedes in alto, sedes est semper in alto*

Barthius Adversf. lib. XXVI. cap. XXIII. sic eum reformat:

Alta domus quærit; sedeo sed semper in imo

addens: *Coctilis materia fundamentis aedificiorum substernitur. Ita later sese firmam, sempiternamque sedem in imo habere. Alludens interim acute, instabilem sedem sibi in alto esse, licet domus tecto opus habens eo poscat; nimirum propter ventos, turbinesque, quibus debellantur lateres.* Sed nihil tale in mentem habuisse Author noster dicendus est, etiamsi legendum esset: *sedeo sed semper in imo*: nam quum tegulæ numquam in fundamentis ponantur, Τὸ *in imo*

imo exponi deberet: *in extrema parte domus*, ſive in imo tecti quum ſuperius inſtruantur imbricibus. Imum autem pro *extremo* uſurpavit Plinius lib. II. cap. XI. *Si vero major materia, quam lumen, turbinis recti, ut ſit imum ejus anguſtiſſimum* &c.

3 *Qui me cito deficit humor*. Scilicet pluvius; vix enim imber in tegulis recipitur, quod etiam dilabitur; & quæ poſt pluviam remanet humiditas, ſolaribus ſtatim radiis ſiccatur.

VII.

FUMUS

1. *Sunt mihi ſunt Lacrymæ; ſed non eſt cauſſa doloris.*
2. *Eſt iter ad Calum; ſed me gravis impedit aer;*
3. *Et qui me genuit, ſine me non naſcitur ipſe.*

NOTÆ, ET CASTIGATIONES.

1 *Sunt mihi ſunt lacrymæ*: Iſtahæc elegantiſſima, atque emphaſi poetica figurata fumi locutio, quum a pleriſque non intelligeretur, mirum in modum depravata fuit. Haſæus in ea nullum eſſe verborum, ſenſum, nullam verborum conſtructionem, ideoque reſcribendum hocce putavit modo:

Sum tibi fons lacrymæ; ſed non ſum cauſſa doloris.

Heum. vero:

Funduntur lacrymæ; ſed non eſt cauſſa doloris.

Reuſner.

Lacryma multa mihi; ſed nulla eſt cauſſa doloris:

At

At & ſenſus, & verborum conſtructio in vulgata editione deprehenditur, quum ſic exponuntur verba: Lacrymæ ſunt mihi, ſed cauſſa doloris non eſt mihi; id eſt; habeo quidem lacrymas: ſed non habeo cauſſam doloris Virgil. Lib. 1. æn. ℣. 75.

Sunt mihi bis ſeptem præſtanti corpore Nymphæ.

Idem autem verbum non ſolum bis adhibitum eſt a Lucretio in eodem verſu 992. Lib. VI. ubi ait:

. . . . . *Quæcumque Acherunte profundo*
Prodita ſunt eſſe, in vita ſunt omnia nobis:

Verum etiam ut vim augeat dictionis ejuſdem per figuram, quam Græci appellant Epizeuxim, quaque uſus ſæpe eſt Cicero, ut Philip. IV. *Non eſt, non eſt vobis, quirites cum eo hoſte certamen*, & illud: *Vidi enim, vidi, penituſque perſpexi* &c. Sic Seneca in Medeæ initio:

Parta, jam parta ultio eſt:

& Act. IV.

Majus his, majus parat Medæa malum.

Quomodo autem fumus lacrimas habeat, intelliges ſi animadvertas, illum non ſolum cogere mortalium oculos ad lacrymandum, quorum fibrillas acri effluvjorum appulſu velliçat; unde Horatius ait *Lib. Serm. I. Sat. V.* ℣. 80.

. . . . . *Lacrymoſo non ſine fumo;*

Verum etiam, quum fumus ſit humidi vaporis exhalatio, quam agente igne per calorem extrait a miſtis, & in aerem pellit, hæc, ſi operculum adſit, quo comprimatur, in guttas colligitur; & ſenſim decidit: Unde Ovid. Lib. 1. *Metam.* pag. 34. a ℣. 1.

Dejectuſque gravi tenues agitantia fumos
Nubila conducit; ſummaſque aſpergine Sylvas
Impluit &c.

Sed

1 *Sed non est causſa doloris*. Per hæc verba, priora illa, quæ vehementer dolentis videbantur; secundum leges ænigmatum, obscuræ redduntur, negando esse sibi causſam doloris, quæ ad lacrymandum impellat.

2. *Est iter ad cælum*. Virgil. III. æn. V. 582.

. . . . . *Et Cælum subtexere fumo*,

& Homer. 1. Odyss. *Fumum* dixit *surgentem*.

2 *Impedit aer*: Quod plane fit, quum aeris gravitas tanta est, ut eam vis fumi nequeat pervadere; ideoque repressus, Cælum, ad instar nubis, obscurat, donec ventorum flatibus dissipetur.

3 *Et qui me genuit* &c. Al. legunt: *& me qui genuit*. Jam patet, hæc de igne dicta esse, qui fumi causſa efficiens est, neque a rebus concipitur combustibilibus nisi prius excitetur fumus.

VIII.

NEBULA.

1. *Nox ego sum facie; sed non sum nigra colore:*
2. *Inque diem ac mediam tenebras tamen affero mecum,*
3. *Nec mihi dant Stellæ lucem, nec Cynthia lumen.*

NOTÆ, ET CASTIGATIONES.

In aliquibus Mss. hocce Aenigma inscribitur *de Nube*. Sed ei non congruit, ut infra demonstrabimus:

1 *Nox ego sum facie*: *Facies* Vocabulum est, quod non solum de summa in hominum corporibus parte dicitur; sed pro aspectu rerum quarumcumque usurpatur, ut Author est Gellius Lib. XIII. cap. XIX.

Ic-

Iccirco Author nebulæ faciem appellat id, quod nebula ipsa oculis nostris offert; nempe minutissimas; sed adeo spissas crassi vaporis particulas, ut, lucis diurnæ radiis impeditis, nihil videre possimus præter ipsam lucis absentiam, sicuti in nocte contingit

. . . . . *Ubi Cælum condidit umbra*
Juppiter, & rebus abstulit Nox atra colorem.

ut ait Virgil. VI. æn. a V 270.

1. *Sed non sum nigra colore*: Hoc mirabile, quod noctem inducat, id est lucis, ac proinde etiam colorum privationem: nec tamen nigram umbram præseferat, ut nox efficere solet; cujus eventus ea est vera causa; nam in nocte umbræ a corpore solido, & opaco, quod a luce nullo pacto penetrari potest, efficiuntur; at Nebula ingumbente, viæ potius oculorum, & lucis obsidentur a minutis corpusculis inæqualibus, quæ lucem quidem absorbent; sed non totaliter obscurant: eo fere modo, quo contingeret si tenuissima lanæ vellera præ oculis haberemus; quod egregie exprimit Lucretius Lib. IV. a V. 337., & demum concludit:

Propterea facile & spoliatur lumine terra,
Et repletur item, nigrasque tibi abluit umbras,
Nec tamen hic oculos falli concedimus hilum.

2 *Inque diem mediam*. Al. *Inque die media*.

2 *Tenebras tamen affero mecum*: Sic optimæ, nam *tenebræ* a *teneo* dicuntur, quia oculos occupant, & visum prohibent.

3. *Nec Cynthia lumen*. Al. *nec initia lucem*. Sequimur Castalionis, & Heumanni lectionem, quum Cynthia heic pro Luna bene exponatur, utpote quæ cum Apolline in Monte Deli, cui nomen *Cynthus* nata dicitur. Virgilius Ecl. VI. V. 3.

Cyn-

. . . . . *Cynthius aurem,*
Vellit, & admonuit.

& Ovidius in Epiſt. Leand. V. 74.

Si dubitas, cæcum Cynthia lumen habes.

IX.

PLUVIA.

1. *Ex alto venlens, longa delapſa ruinâ,*
2. *De Cælo cecidi medias tranſmiſſa per auras:*
3. *Et ſinus, effudit qui me prius, ipſe recepit.*

NOTÆ, ET CASTIGATIONES.

1 *Ex alto veniens.* Al. *venio.*

2. *De Cælo cecidi*, nempe *quod dicitur aer*, ut ait Lucretius ubi ſupra.

3 *Et ſinus, effudit.* Al. *excepitque ſinus.* Al. *ſed excepit ſinus.* Lego cum Heum. ita ut ſit ſenſus:

Et ſinus ipſe recepit me, qui prius me effudit.

Lucretius enim ſic pluviæ rationem explicat Lib. VI. a V. 505.

. . . . . *Ex omnibus amnibus humor*
Tollitur in nubes, quo, quum bene ſemina aquarum
Multa modis multis convenere, undique adducta
Confertæ nubes, vi venti, mittere certant
Dupliciter &c.

3 *Qui me prius ipſe recepit.* Al. *ſimul ipſe.*

X.

GLACIES.

1. *Unda fui quondam, quod me cito credo futuram:*
2. *Nunc rigidi Cæli duris connexa catenis,*
3. *Nec calcata pati possum, nec nuda teneri.*

NOTÆ, & CASTIGATIONES.

Quælibet aqua in stagnis, in paludibus, in fluminibus, aliisque locis, ob exuperantiam frigoris congelata, glacies dicitur. Aliquandiu dubitatum est de aqua marina in suo loco existente, & eam posse in glaciem durari, negasse videntur Plutarchus in Lib. de *Caus. Nat.* cap. VIII. Gellius Lib. XVII. cap. VIII. Macrob. Lib. VII. Saturn. cap XIII. & quamvis non negent alicubi mare gelu coactum apparuisse, hoc tamen explicant de aquis advenis, quæ ad spatium quoddam penes superficiem concrescunt. Cæterum non solum ex Herodoto, Pomponio Mela, aliisque veteribus; sed etiam ex quampluribus recentioribus didicimus, Mare Bosphoricum, latera Maris Scythici, & Oceani partem illam, quæ polo Artico vicina est, nonnunquam congelari. Unde Ovidius Lib. III. Trist. El. x. V. 39. ait:

. . . . . *Durum calcavimus æquor,*

1 *Quod me cito credo futuram.* Si Pomponio Mela Lib. III. *de orbis situ* fides, Latera illa Scythici Maris assiduo gelu durantur, & ideo omnino deserta sunt. Aquæ in glaciem coactæ pondus minuitur; sed nil mirum, quia minuitur & quantitas, quod ex minutarum partium, compressione aeris pro-

prolabentium, evenire Phyſici contendunt. Id vere mirabile, quod hiſce noſtris temporibus a Domino Mariotto factum eſſe dicitur: Scilicet lentem uſtoriam, ex glacie confectam, perfecte ignem in pulvere pyrio excitaſſe; nec concepto igne fuiſſe ſolutam.

2 *Duris connexa catenis*. Aptiſſima, & elegantiſſima metaphora; ſiquidem aqua annuloſum elementum eſt, ſuiſque annulis, aere duratis, conſtringitur, & frenatur etiam in fluminibus, in quibus antea magno impete ferebatur. Horat. lib. 1. Epiſt. 111. V. 3.

Thraca-ne vos, Hebruſque nivali compede vinctus &c.

Et Virgil. IV. Georg. V. 136.

..... *Et glacies curſus frænaret aquarum*.

3 *Nec calcata pati poſſum*. *Calcata* pro *Calcari*: more Græcorum; non tamen hoc ita intelligas, quaſi nequeat glacies aliquo modo calcari; nam Ovidius ubi ſupra a V. 39. teſtatur:

Ceruleos ventis latices durantibus Iſter
Congelat, & tectis in mare ſerpit aquis:
Quaque rates ierant, pedibus nunc itur: & undas
Frigore concretas ungula pulſat equi.
Perque novos pontes ſubter labentibus undis,
Ducunt Sarmatici barbara plauſtra boves

& Virgil. III. Georg. a V. 360.

Concreſcunt ſubitæ currenti in flumine cruſtæ,
Undaque jam tergo ferratos ſuſtinet orbes,
Puppibus illa prius, patulis nunc hoſpita plauſtris.

Sed ideo dicit Poeta, quod glacies calcari nequit, quia lubrica eſt, nec per eam incedere quiſquam poſſet, niſi peracutis clavis armetur, vel ſtramentum ſolo ſternatur; ideoque addit:

3 *Nec nuda teneri* ; Scilicet *pati poſſum teneri* , niſi involuta paleis &c.

X I. Al. X I I.

FLUMEN, ET PISCIS.

1. *Eſt Domus in terris , clara quæ voce reſultat :*
2. *Ipſa domus reſonat ; tacitus ſed non ſonat hoſpes :*
3. *Ambo tamen currunt , hoſpes ſimul , & domus una .*

NOTÆ, ET CASTIGATIONES.

1 *Eſt Domus in terris .* Ænigma etruſco carmine compoſitum heic legere ne pigeat ; breve enim eſt , & ſatis aptum ad hunc locum illuſtrandum . In eo ſic piſcis de ſe loquitur :

Fui fatto prigion dentro mia caſa ,
La caſa ſe n' uſcì per le feneſtre ,
Ed io reſtai prigion fuor di mia caſa .

Rete nimirum comprehenſus , aqua undique profluit , quum extrahitur .

1 *Clara quæ voce reſultat* : *Reſulto* eſt proprie frequentativum verbi *reſilio* , & ex Feſto ſignificat *ſæpe reſilire* , ſeu *in contrarium agi* ; quod de voce repercuſſa elegenter dicitur . Virgil. IV. Georg. a V. 49.

. . . . . Aut ubi concava pulſu
Saxa ſonant , vociſque offenſa reſultat imago .

2 *Ipſa Domus reſonat .* Hinc Ovidius in Epiſt. Leandri ad Heronem V. 26.

Sollicitum raucis ut mare fervet aquis

& Horat. Epod II. a V. 25.

Labuntur altis interim ripis aquæ ;

Quæ-

Quæruntur in Sylvis aves,
Fonteſque lymphis obſtrepunt manantibus &c.

2 *Tacitus ſed non ſonat hoſpes.* Scilicet Piſcis. Unde Ovidius Lib.x. Metam. pag. 129. V.xi.

Verterit in tacitos juvenilia corpora piſces.

Hinc etiam plurima Adagia. E.g. *Piſci dixeris: Piſce taciturnior.* Hinc tandem in Chriſtianorum ſepulchris piſcium imagines antiquitus fingebantur propter arcani diſciplinam, de qua in diſſ. xxix. cap. xiii. Aelianus tamen Lib.x. *de Natur. Anim.* cap.xi. *Qui piſces, ait, ſilentii condemnant, eos mutos affirmantes, ii in eorum natura indocti ſunt, & rudes; nam ex iis nonnulli editis ſibilis, ſtridente, & grunniunt;* ſed poeta ad id, quod in pleriſque contingit, reſpexiſſe apparet.

3 *Hoſpes ſimul, & domus una.* Sæpe hoc contingit: non autem ſemper; nam & in profundo fluminum ſua habent receptacula, in quibus Piſces latitant, quieſcunt, & parturiunt. Vide Plin. Lib.ix. cap.xvi. & Aelin. Lib.ix. cap.xix.

XII. Al. XI.

NIX.

1. *Pulvis aquæ tenuis, modico cum pondere lapſus,*
2. *Sole madens, æſtate fluens, in frigore ſiccus,*
3. *Flumina facturus, totas prius occupo terras.*

NOTÆ, ET CASTIGATIONES.

1 Dum aqua pluvialis in media aeris regione ob

ob vehementem, qua & supra, & infra circumdatur, frigiditatem, in friabilem densi corporis massam concrescit, & sensim dilabitur, siccato humore, quo minutissimæ particulæ ejusdem glomerabantur. Hinc Nix proprie, & philosophice *aquæ pulvis* a Lactantio nostro appellatur; siquidem aqua siccior est, & quidem tanto, quanto frigus est vehementius, a quo dum constringitur, ceu spongia, humorem emittat necesse est, & veluti sicca remaneat.

1 *Modico cum pondere lapsus*: Experientia compertum est, nivem dum in floccos decidit, quinta plerumque, aut etiam interdum sexta parte minus ponderis habere, quam ei naturaliter esset, si nubes ex qua gignitur, in aquam verteretur ob eandem rationem, quam in glacie tetigimus.

1 *Sole madens*: Quamvis humidum a nive frigus exprimat; tamen quum ejus natura aquosa sit, eo penitus numquam potest expoliari; ideoque si solaribus rudiis expositа parumper calefiat, statim leviter humet, & sensim liquescit.

2 *Aestate fluens*: Si autem solis calor vehementior sit, non solum humet; sed liquatur, & fluit in aquam resoluta. Aestas enim heic idem valet ac *ver serenum*, *et calidum*, ut notat Servius ad illud Virgilii IV. Georg. V. 79.

Nare per æstatem liquidam suspexeris agmen.

2 *in frigore siccus*. Si flante Borea, aut Aquilone nix decidat, aut jam decisa frigidissimo aeri sit exposita, adeo siccatur, ut sine aqua vix in globbulos utraque manu fingi possit, ut adolescentes experti sumus, quum pedagogo aliud agente, eam, ut alii solent, contingere fas fuit.

Flu-

3 *Flumina facturus*. Regio noſtra, quæ diſparibus; ſed frequentiſſimis montium, colliumque jugis undique cingitur, torrentibus verno tempore immaniter alluitur; nivalibus ſcilicet aquis tumeſcentibus; quos tamen æſtate media ſicco pede, aut ſubitaneo ponte ſæpe trajecimus.

3 *Totas prius occupo terras*: Nempe circa ea loca, in quibus torrentes fluere deinde cernimus. Id in nive aliquando obſervavimus, quod non quilibet floccus ejus ejuſdem figuræ eſt; cum decidit, ſed pro aeris diverſitate ita mutatur, ut aliquando velleribus piloſis, interdum cuſpidatis radiis, plerumque liliatis prominentiis, nec raro roſæ foliis appareat ſimilis; & quamvis ubique candeat, & eo ſit candidior, quo ſpuma ejus eſt laxior; tamen vetuſtate rubeſcit, téſte Plinio Lib. XI. cap. XXXV. Imo ſi credimus Euſtathio in comm. ad XI. Iliad. in Armeniæ parte, ubi regio illa minii copia fertili vena abundat, ultrò rubentes nives viſuntur.

XIII.

NAVIS LONGA.

1. *Longa feror velox formoſæ filia Sylvæ,*
2. *Innumeris pariter comitum ſtipata catervis,*
3. *Curro vias multas, veſtigia nulla relinquens.*

NOTÆ, & CASTIGATIONES.

1 *Longa feror velox*: Al. *feroque*: Inter plurimas

Navigiorum ſpecies, quæ Lactantii noſtri tempore adhibebantur, una erat, cui *Navis longa* nomen, eo quod in longum porrecta, nec latitudinem, nec altitudinem parem haberet; ſuaque figura ab *Onerariis*, *Piſcatoriis*, atque *Actuariis*, plane diſſimilis. Hujuſmodi Naves, quum aliæ majores eſſent, aliæ minores, nomina etiam diverſa a remigiorum ordinibus, unicuique peculiaria, habuerunt. E. g. *Biremes*, *Triremes*, *quadriremes* &c. quarum icones de re Navali agens dat Bayſius pag.16. & 247., & Godeſchalcus Stevvechius in notis ad Lib. IV. Vegetii cap.XXXVII. His Authoribus tamen contradicunt Joſephus Scaliger in *Animadverſionibus Euſebianis*. Salmaſius *in obſervat.ad jus Rom.& Atticum* cap.XXVIII. Spanemius Lib.VIII. *de Navigatione* cap.III., & Gerardus Jo. Voſſius *in Lexico Etymolog.* Controverſiæ cardo in eo vertitur, quod illi remigum ordines per Navis longitudinem diſponunt in utroque latere a prora ad puppim, quemadmodum in iis videmus, quas *Galere* Itali vocamus. Iſti autem penes altitudinem eos componunt a Cataſtromate ſummo ad imum uſque Navigii, quod mihi ſemper parum vero ſimile viſum eſt; nam in ea Navi, quam Deli Pauſanias ſe vidiſſe narrat Lib.I. *Attic.* pag.34. e cujus foris novenis eminebant remigibus tranſtra, ſi hæc in altitudinem fuiſſent diſpoſita, dic quæſo: quænam primi ordinis remorum longitudo fuiſſet? quæ vis? qualis uſus? At de iis agant alii. Nobis heic notandum occurrit, in titulo ſcribendum eſſe *Navis longa*; alias enim prima vox eſſet redundans.

1 *Velox*: Præ aliis navigiis Naves longæ, utpote quæ remis, ac velis agebantur, veloces erant; hinc

Cæ-

Cæſar Lib IV. *Comm. ubi animadvertit, Naves longas, quarum & ſpecies Barbaris erat inuſitatior, & motus ad uſum expeditior*, eis eſt uſus. De hujuſmodi Navibus vide etiam Giraldum Lib. I. *de Navigiis*.

2 *Formoſæ filia Sylvæ*. Al. *formunſae*. Mallem *frondoſæ*, ut Virgil. Georg. Lib. IV. V. 543.

Corpora ipſa Boum frondoſo deſere luco.

Filiam autem *Silvæ* etiam Horatius Pinum, ex qua Navis erat compacta eleganter appellavit Lib. I. *Carm. Od.* XIV.

Quamvis Pontica Pinus,
Sylvæ filia nobilis,
Jactet genus, & nomen inutile.

Catullus Epig. IV. Phaſellum laudans, eum dicit aliquando fuiſſe: *Sylvam comatam*.

2 *Innumeris pariter* &c. Heum. legit:

Innumera pariter comitum ſtipante caterva.

Quoniam putavit, Noſtrum reſpexiſſe Virgilianum illud Æn. I. V. 501.

. . . . . *Pulcherrima Dido*
Inceſſit magna juvenum ſtipante caterva.

Sed nota, *Catervæ* vocabulum multitudinem peditum ſub uno duce adunatorum ita ſignificare, ut iiſdem multiplicatis, multiplex quoque fiat ipſa caterva. Quum igitur heic de navi Longa ſermo ſit, qua pluribus comitata, claſſis diverſis catervis diſtributa vehi conſueverat, non in ſingulari; ſed in plurali uſurpari debebat, eodem præeunte Virgilio Æn. X. V. 194.

. . . . . *Filius æqualis comitatus claſſe catervas.*

Ubi ſervius notat:

Per naves habens diſtributas æquales catervas.

3 *Curro vias multas*. Virgil. III. Æn. V. 191.
Vela damus, vastumque cava trabe currimus æquor
3 *Vestigia nulla relinquens*. Horat. Lib. I. V. 76.
. . . . . *Quia me vestigia terrent*
Omnia te adversum spectantia, nulla retrorsum &c.

XIV.

PULLUS IN OVO.

1. *Mira tibi referam nostræ primordia vitæ*;
2. *Nondum natus eram, nec eram tum matris in alvo*;
3. *Jam posito partu natum me nemo videbat*.

NOTÆ, ET CASTIGATIONES.

1 *Tibi referam*. Al. *refero*.

2 *Nondum natus eram, nec* &c. In Ovo, nondum incubato, Pullus non adest; ac proinde sive in matris alvo, sive extra positum ovum sit; Pullus tamen in eo non est. Quamvis suæ vitæ primordium inde debeat desumere.

2 *Nec eram tum matris in alvo*. Al. *nec eram genitricis in alvo*.

3 *Jam posito partu*. Al. *quum posito*, Al. *In posito*. Eleganter satis dictum est, & proprie: *posito partu*, pro *edito*; siquidem: *ponere ova*; idem est, ac *ea parere*: Columel. Lib. VIII. *de R. R.* cap II. num. 12. *de Gallinis Rhodiis*, aut *Medicis* ait: *quum pauca ova posuerunt inertes ad incubandum, multoque magis ad excludendum, raro foetus suos educant* Et Ovid. VIII. *Metam.* pag. 285. V. 22. de Perdice inquit:

Propter humum volitat: ponitque in sæpibus ova.

Na-

3 *Natum me nemo videbat*. Pullus intra ovum incubatum natus non facile cernitur, niſi ovum lumini admoveatur, aut ovi cortex pateat, jam aliqua in ſui parte diruptus.

XV.

VIPERA.

1. *Non poſſum naſci, ſi non occidero matrem.*
2. *Occidi matrem; ſed me manet exitus idem.*
3. *Id mea mors faciet, quod jam mea fecit origo.*

NOTÆ, ET CASTIGATIONES.

1 *Non poſſum naſci niſi* &c. Hæc fuit, & eſt plurimorum opinio, de qua Plin. Lib.x. cap.LXII. hæc habet de Vipera loquens: *Tertia die intra uterum catulos excludit: deinde ſingulos ſingulis diebus parit, viginti fere numero. Itaque ceteræ tarditatis impatientes, perrumpunt latera occiſa parente.* Contra hæc plurima adducuntur exempla, longa experientia comperta, & equidem in capſula quadam, deſuper inſtar caveæ filo ferreo undique intexta, hiſcemet oculis vidi XVIII. catulos viperinos a matre incolumi editos, ac in furfure una cum parente ſua diu perſeverare. Non tamen fabulam putò id, quod Plinius narrat, ut oſtendere irrito conatu contendit Pierius Valerianus *Hieroglyph.* Lib.XIV. cap.XX., nam paucis ab hinc annis quum Caprarolæ philoſophiam docerem, viperæ cadaver ad me delatum eſt, vulnus

nus in latere duplicis fere tranſverſi pollicis latitudinem habens, ex quo, paullo agitato eodem cadavere, quinque catulos prodere vidimus ad palmi dimidium longos, & admodum ſubtiles, qui tamen brevi interiere omnes. Qua de re quum diu mecum philoſopharer, tandem in eam opinionem veni, non ſemper quidem viperæos fœtus matris latera corrodere; ſed quoties contigit parentis matricem occludi, aut verti, ita ut per eam catuli nequeant amplius emitti, quum ex eodem Plinio L. XI. cap. XXXVII. didicerim, eam in Viperis eſſe duplicem, ſicuti in omnibus ova generantibus, mortemque afferre, *ſi verſa ſpiritum incluſit*.

2 *Sed me manet*. Al. *me ſed manet*.

3 *Mors faciet quod jam*: Al. *mors patitur id mea* &c. Videtur heic reſpexiſſe Author ad Hæliani Lib. I. *de Nat. Anim.* cap. XXIV. ubi narrat: Viperam fœminam marem, a quo fœcunda redditur, occidere, ipſamque in partu a filiis perimi, mortem patris ulciſcentibus: & poſtmodum idem Ælianus lib. XV. ejuſdem Oper. cap. XVI. cum Theophraſto id explicat quomodo, & quare contingat.

XVI.

TINEA.

1. *Littera me pavit, nec quid ſit littera, novi.*
2. *In libris vixi, nec ſum ſtudioſior inde.*
3. *Exedi muſas; nec tamen ipſa profeci.*

NOTÆ, ET CASTIGATIONES.

1 *Littera me pavit*. Multiplex Tinearum genus, peſſi-

peſſimum autem, quod libros corrodit, & illuſtrium virorum monumenta dilacerat, atque demolitur; unde Horat. Lib. 1. Epiſt. ultima V. 12. ad librum ſuum ait;

Contrectatus ubi manibus ſordeſcere vulgi
Coeperis: aut tineas paſces taciturnus inertes:

2 *Studioſior*: Heum. ait: *Sic & Sappho Ovidiana ſua orditur* ad Phaonem Epiſtolam:

Numquid, ubi adſpecta eſt ſtudioſæ littera dextræ
Protinus eſt oculis cognita noſtra tuis?

Sed exemplum iſtud potius diruit, quam armet datam hujus vocis expoſitionem; ſiquidem heic *Tò ſtudioſæ* ſignificat *cupidæ, addictæ, deditæ*; & quid ſimile, more Amantum. Potius ergo ad rem facit quod ſecundo loco affert ex Quintiliano *de Cauſ. Corr. Eleq.* cap. XXI. num. 5. *Omnium ſtudioſorum manibus verſantur accuſationes, quæ in Vatinium inſcribuntur.*

3 *Exedi muſas*. Cicero *V. Tuſcul. Quæſt.*: *Apparebat Epigramma exeſis poſterioribus partibus verſiculorum dimidatis fere* &c. Claudian. in Eutrop. Lib. 1 V. 103.

. . . . . *Miſerabile turpes*
Exedere caput Tineæ.

Pro *Muſis*, intellige doctrinam, & literas humanitate plenas, interprete Cicer. *in Tuſcul.* v. ubi ait: *Quis eſt enim omnium, qui modo cum Muſis, id eſt, cum humanitate, & cum Doctrina habeat aliquod commercium* &c. Hinc idem Cicero Lib. IV. *Att. Epiſt. x. Voramus*, inquit, *literas cum Dionyſio*, Hinc Magiſter Hiſtoriæ Eccl. Petrus ille, Eccleſiæ Trecenſis Decanus, *Manducator*, ſeu *Comeſtor* dictus eſt: de quo Molanus, Henricus Gandaven. & Trithem. de *Script. Eccl.* mentionem faciunt. Hinc demum Panvinius Onuphrius Veronenſis Auguſtiniani Inſtituti

Pro-

Profeſſor, a Manutio *Helluo librorum* appellatus fuit, ut refert Miræus *in Auct. de Script Eccl.* &c.

3 *Nec tamen ipſa profeci*. Al. *nihil hinc tamen ipſa reporto*. Quod a Sciolo factum eſſe, putat Heum. quia Poeta contra morem antiquorum primam Syllabam corripuit in Tò *Profeci*: At ea etiam apud antiquos communis eſt. Virgilius Lib. III. æn. V. 615.

. . . . . *Trojam genitore Adamaſto*
Paupere, manſiſſet utinam fortuna, Profectus &c.

XVII.

ARANEA.

1. *Pallas me docuit texendi noſſe laborem*,
2. *Nec pepli radios poſcunt, nec licia telæ*:
3. *Nulla mihi manus eſt, pedibus tamen omnia fiunt*.

NOTÆ, ET CASTIGATIONES.

1 *Pallas me docuit*. Heum. notat. *Contra tamen Ovidius Metam.* VI. 23. *refert, Arachnen non videri voluiſſe texendi artem a Pallade doctam*:

. . . . . *Scires a Pallade doctam*:
Quod tamen ipſa negat.

Et Virgilius Georg. IV. 246.

Inviſam Minervæ Araneam. . . .

Sed Heum. Poetæ noſtri mentem non eſt aſſecutus; Heic quippe Lactantius dicit, Palladem docuiſſe Arachen non artem texendi; *ſed noſcere docuiſſe laborem texendi*, Scilicet, *experiri quam improbus labor ille ſit*. Virgil. lib. IV. Georg. V. 340.

Al-

Altera tum primos Lucinæ experta labores. Siquidem antequam in araneam verteretur, *illi dulcis erat mercede labor: Studio fallente laborem.* At poſtmodum laboris quidem pondus; ſed nullum ex labore fructum plerumque ſe reportare novit.

2 *Nec pepli radios poſcunt.* Al. *nec telæ radios poſcunt*: ſed male, quum ſtatim ſequatur, *nec licia telæ*. Pepli apte heic dicuntur, radios non poſcere: nam proprie *Peplus* veſtis erat quædam Palladi iniquæ ſacra, unde Virgil. Lib. I. æn. a V. 483.

Interea ad templum non æquæ Palladis ibant
Crinibus Iliades paſſis, peplumque *ferebant*
Suppliciter triſtes, & tunſæ pectora palmis.

2 *Radios poſcunt*: *Radii* textoria inſtrumenta ſunt, quibus ſubtemen ſtamini inſerunt textores; unde Ovidius in eadem fabula canit:

Inſeritur medium radiis ſubtemen acutis.

Quibus certe non indiget Aranea, ſicuti nec liciis ad ſua tela texenda, quum omnia ſuis pedibus conficiat opera.

3 *Nulla mihi manus* &c. Vide Ælianum Lib. I. de *Nat. An.* cap. XXI.

XVIII.

COCHLEA.

1. *Porto domum mecum, ſemper migrare parata,*
2. *Mutatoque ſolo, non ſum miſerabilis exul:*
3. *Sed mihi conſilium de Cælo naſcitur ipſo.*

NOTÆ, ET CASTIGATIONES.

1 *Porto domum mecum*: Etiam de Teſtudine, ac de

de omni animalium genere, quæ testa teguntur, hæc dici possunt, ideo quidam in titulo legunt *de Testudine*, sed de ea est infra ænig.xx. Apud Cicero n. Li.II. *de Divinat.* hæc de Cochlea habentur:

Terrigenam, herbigradam, domiportam, sanguine cassam,

Quod Cochleæ, sive limaci, magis congruit per *Tò herbigradam*, qua proprietate a marinis, atque terrestribus testarum speciebus secernitur.

1 *Semper migrare parata*: Hoc de Cochleis generatim loquendo falsum esse videtur, nam terrestres hyeme semper, æstate vero plerumque latent, nec aliis anni temporibus prodire solent, nisi post tenuem pluviam, aut rore madentibus herbis, Plaut. Act.I. Sect.I. V.13. *Captiver. Quasi quum caletur, Cochleæ in occulto latent.* Tamen si ad proprietatem sermonis spectetur, verissima propositio est, siquidem *migrare* non est solummodo, *alio se conferre relicta priore habitatione*, ut putavit Valla; sed quamcumque mutationem significat. Hinc Lucretius Lib.v. a V.826. ait:

Mutat enim mundi naturam totius ætas,
Ex alioque alius status excipere omnia debet,
Nec manet ulla sui similis res: omnia migrant:
Omnia commutat natura, & vertere cogit.

Quum igitur Cochlea sensim crescat, & quantum ad corpus, & quantum ad testam, qua involvitur, simulque quo magis crescit, eo plus ad superiores corticis partes, relictis inferioribus, se transferat, hinc verissimum est, eam semper esse migrare paratam, novum semper mutando situm, majoremque extensionem occupando sive æstas sit, sive hyems. Vide Lister. *Exercit. Anotom.*, & Derham. *Theolog. Physic.* Lib.IX. cap. I. De Cocleis autem Ponticis dicit Aelia-

lianus Lib. x. cap. vi. *de Nat. Anim.*, quod hyemant in Propontide, æſtivant vero circa Ægialum.

2 *Miſerabilis exul.* Confirmant hæc, ea quæ a nobis hactenus notata ſunt; ſiquidem Exul dicitur, qui a proprio ſolo pellitur: Cochlea vero quamvis ſitum, & ſolum mutare quacumque ex cauſſa cogatur, non tamen proprium domicilium relinquit. Nota etiam, vocem *Exul* tam maſculini, quam fœminini generis eſſe, ut exempla oſtendunt apud Ovid. *Triſt.* Lib. I. *Eleg.* III. V 82. & apud Virgil. alioſque.

3 *Sed mihi conſilium.* Sic legendum omnino cum Sirmundo, & nonnullis Mss. Codd. quoniam quod alii exhibent: *Conchylium* nec ænigmatis naturæ, nec verborum ſenſui, nec rei indicatæ reſpondet. Sic autem nobiſcum legit etiam Perionius. Al. *Concilium*.

3 *De Cælo naſcitur ipſo.* Quatenus ſcilicet aeris tamperiem optime noſcit, & quum ſibi congruit, tunc ad neceſſaria ſibi paranda egreditur. Vide in Memoriis Academiæ Pariſ. an. 1719. 1738. &c. Et *Epiſt. Leeuwenhoek. Arcan. Nat.* Tom. III. In Mari Rubro Cochleæ omnium naſcuntur pulcherrimæ, non ſolum teſte Aeliano Lib. xi. cap. xxi. *de Nat. Anim.* ſed etiam id nobis demonſtrantibus iis, qui ad nos plurimas inde earundem teſtas, auro, argento, ac variis, viviſque coloribus, mirifice undique conſperſas, attulerunt.

XIX. RA-

XIX.

RANA.

1. *Rauca ſonans ego ſum media vocalis in unda,*
2. *Sed vox laude ſonat, qua ſemet laudat & ipſa.*
3. *Quamquam canam ſemper nullus mea carmina laudat.*

NOTÆ, ET CASTIGATIONES.

1 *Rauca ſonans.* Al. uniço verbo legunt: *Rauciſonans.* Nec male, nam Lucretius Lib. v. de Volucribus quibuſdam loquens, præſertim marinis ait V. 1082.

. . . . . *Mutant cum tempeſtate una*
Rauciſonos cantus.

Et Ovidius de Ranis ait Lib. VI. Metam. pag. 215. V. 8.

Vox quoque jam rauca eſt.

1 *Media vocalis in unda*: Idem Ovid. verſu antecedenti:

Quamvis ſint ſub aquis, ſub aqua maledicere tentant

Plinius tamen Lib. IX. cap. LVIII. narrat eas alicubi mutas eſſe. Quod Aelianus Lib. III. cap. XXXV. & XXXVII. confirmat de iis potiſſimum, quæ in Cyrene, in Seripho, & in lacu Theſſaliæ degunt.

2 *Sed vox laude ſonat*: Vox Ranarum propria *coaxare* dicitur, ſeu *coaſſare*, id eſt *cantabulare*, ſeu potius *cantitare*. Reſpexiſſe autem Author videtur ad Ariſtophanis Comœdiam, quæ *Ranæ* inſcribitur, nam ubi Charon Dionyſium in ſuam Cymbam recepit, chorus Ranarum ſic cantare coepit:

Brecececex, coax, coax Brecececex, coax, coax.
Paludoſi fontium filii Tibialem laudum vocem
Canamus; ſonoram meam Cantilenam. coax, coax &c.

Sed

Sed Virgil. Lib.I. Georg. V.378.

Et veterem in limo ranæ cecinere querelam.

2 *Qua ſe quoque laudat, & ipſa.* Al. *laudet.* Al. *quaſi ſe quoque laudat & ipſa.* Al. *in ipſa.* Heum. arbitrio ſuo legit:

Sic vox laude caret, quæ ſe laudaverit ipſa.

Et qui in omnibus Mss., & editis erat ſecundus, ab eo tertius verſus factus eſt, eam rationem reddens: *Scilicet non ſuppetebat Lactantio materia ænigmatis trilitico epigrammati ſufficiens, unde tertio verſu* Ἐπιμύθιον *quoddam lectoribus profuturum annectere voluit.* Lactantius autem ad ea reſpexit, quæ in laudata comœdia ſequuntur ex Choro Ranarum:

Decenter ego, o multa faciens.
Me enim amaverunt benecitarizantes Muſæ,
Et Cornutus Pan, calamis vocem ludens.
Ad hos delectatur autem cithara modulans Apollo,
Gratia fiſtulæ, quam ſub lyram
Aquoſam in paludibus nutrio.
Brecececex, coax coax.

3 *Nullus mea carmina laudat.* Imo omnes vituperant verbis Dionyſianis, quæ ibidem legere poteris, quum eas me pudeat referre.

X X.

TESTUDO.

1. *Tarda gradu lento, ſpatioſo prædita dorſo;*
2. *Docta quidem ſtudio, ſed ſævo perdita fato.*
3. *Viva nihil dixi, quæ ſum modo mortua, canto.*

NOTÆ, ET CASTIGATIONES.

Panuvianus Amphion apud Ciceron- Lib. II. *de Divinat.* ſic de Teſtudine luſit:

Quadrupes tardigrada, agreſtis, humilis, aſpera,
Capite brevi, cervice Anguina, aſpectu truci,
Eviſcerata, inanima cum animali ſono.

1 *Specioſo prædita dorſo*: Servo antiquam Mss. Codd. lectionem, quam neſcio, qua ratione, mutaverit Heum. qui legit: *ſpatioſo*, quod de terreſtri Teſtudine, de qua heic agitur, nec verum, nec dignum eſt: *Specioſus* idem valet, ac *ſpecie pulcher*, Hinc *ulmus ſpecioſa nitentibus uvis*: Ovidius VII. *Metam. Frons ſpecioſa altis cernibus* ibidem Lib. III. *ſpecioſas cauſſas Cicero* Lib.III. ad Attic. *Fabula ſpecioſa* Horatius *de Arte Poetica* dixerunt. Teſtudinis autem cortex politus, & levigatus, quam ſpecioſus ſit, neminem ignorare putamus. Antiquis certe ſummo in pretio fuit; nam mulierum comæ reticulo teſtudineo ornabantur. Ovid. Lib III. *de Arte*

Hanc placet ornari teſtudine Cyllenea:
Suſtineat ſimiles fluctibus illa ſinus.

& Lib.II. Metam. pag.81. ℣.16 Ebori æquavit:

Pars ſecreta domus ebore, & teſtudine cultos
Tres habuit thalamos.

In aqua calida mergitur, & veluti cera, ita liquatur, ut facile in quamcumque figuram, adhibita forma, trahi poſſit.

2 *Docta quidem ſtudio*. Heum. de more tranſpoſitione arbitraria uſus eſt, & prima hemiſtichia ſecundi, ac tertii Carminis commutavit, heic legendo:

Viva nihil dixi:

& quæ heic leguntur, loco illorum ad tertium verſum tran-

tranſtulit, ablata antitheſis venuſtate, Horatius eam vocat *Callidam*, ut infra dicemus. Sed ludit heic Poeta Noſter, & loquitur de muſico inſtrumento, quod *teſtudo* appellatur, nec ſine ſtudio tractari diſcitur. Utitur ambigua voce *docta*; quaſi ad legem illam reſpicere vellet: *Excellens in arte non debet morte multari*: Ideoque ſubdit:

2 *Sed ſævo perdita fato.* Ad hoc enim, ut Teſtudo delicate in cibum paretur, caput ei primum amputandum eſt; ac ſanguine corpus totum evacuandum; cortice deinde diligenter nudanda.

3 *Viva nihil dixi.* Caret enim lingua, & dentibus, ut de Marinis teſtatus eſt Plinius Lib. XI. cap. XXXVII., & de terreſtribus antequam hæc ſcriberem, ego met expertus ſum, qui in ore ejus deprehendi pelliculam duriuſculam, mandibularum radicibus inhærentem, quæ parumper ſe in medio attollit, & deprimit, ut cibum recipiat, & in ventrem tranſmittat.

3 *Quæ ſum.* Al. *quæ ſic*.

3 *Modo mortua canto*: Nomen animalis heic tacite transfertur ad muſicum inſtrumentum, quod *Teſtudo* dicebatur ab antiquis; fere animali ſimile ſeptemque chordis ſonorum, teſte Horatio Lib. III. *Carm.* Ode XI. a ℣. 3.

Tuque Teſtudo reſonare ſeptem
. . . . . *Callida nervis.*
Nec loquax olim, neque grata, nunc &
Divitum Menſis, & amica Templis &c.

Et Epod XIV. ℣. 11.

Qui perſæpe cava teſtudine flevit amorem.

XXI.

TALPA.

1. *Cæca mihi facies, atris obſcura tenebris,*
2. *Nox eſt ipſa dies; nec ſol mihi cernitur ullus.*
3. *Malo tegi terra: Sic me quoque nemo videbit.*

NOTÆ, ET CASTIGATIONES.

1 *Cæca* &c. Plinius Lib. XI. cap. XXII. *Quadrupedum*, ait, *Talpis viſus non eſt; oculorum effigies ineſt, ſi quis prætentam detrahat membranam.* Adde Lib. XXX. cap. III.

2 *Nox eſt ipſa dies*: Scilicet *mihi*. Cicero Lib. IV. *Acad. quæſt.* Quæſtionem movet: *Quid Talpam? num deſiderare lumen putas?* Et Servius ad illud Virgil. Georg. I.

Aut oculis capti fodere cubilia Talpæ.

ait: *Hoc eſt debiles oculis, & muti: quum enim talpæ cæci naſcantur, quomodo capti oculis? Illi enim capti dicuntur, qui aliquando viderunt.*

v *Nec ſol mihi cernitur ullus*. Soles in plurali, vel pro diebus, vel pro ſolaribus radiis ſumuntur, Virgil. Lib. III. Ænead. ℣. 203.

Tris adeo incertos cæca caligine ſoles
Erramus pelago:

Catull. *ad Lesbiam* v. ℣. 4.

Soles occidere, & redire poſſunt.

Item *ad ſeipſum* VIII. ℣. 3., & 8.

Fulſere quondam candidi tibi ſoles,

& Tibulli Eleg. IV. ℣. 2.

Ne capiti Soles, ne nocentque nives.

3 *Ma-*

3 *Malo tegi terra*. Plin. Lib. IX. cap. VII. *Quæ ſemper defoſſa vivunt, ceu Talpæ.*

3 *Sic me quoque nemo videbit*. Al. *Sic me nemo quoque*. Palladius Lib. IV. de R. R. Tit. IX. num. 4. refert, nonnullos prope talparum cubilia plures forulos aperire conſueviſſe, ut ſolis admiſſu, illi territi inde fugiant: In agro Labadico nullos eſſe, refert Aelianus Lib XVII. cap. X. ac ſi aliunde inportentur, non fodere; ſed mori narrat.

XXII.

FORMICA.

1. *Provida ſum vitæ, duro non pigra labori,*
2. *Ipſa ferens humeris ſecuræ præmia brumæ.*
3. *Nec gero magna ſimul; ſed congero magna viciſſim.*

NOTÆ, ET CASTIGATIONES.

1. *Provida ſum vitæ*. Cicer. Lib. III. *De Nat. Deor.* exceſſiſſe videtur, quum in formica, non modo ſenſus, ſed etiam mentem, rationem, memoriamque dixit, adeſſe; nihilominus negari non poteſt, mirum in hoc animali divinæ Providentiæ, ac ſapientiæ apparere conſilium, quo Automatiſtarum deliria convirgantur. Virgil. I. Georg. verſ. 186.

. . . . . *Inopi metuens formica ſenectæ.*

1 *Duro non pigra labori*. Mallem: *labore*: aut *duri laboris*. *Sed non ſum pigra labore*. Hort. Lib. I. Sat. 1. ℣. 33.

. . . . , ... *Magni formica laboris.*

Sed illud vere egregium hujus animalis elogium divino dignum Oraculo *Prov.* VI. ℣. 6. *Vade ad formicam; o Piger, & considera vias ejus, & disce Sapientiam; quæ quum non habeat ducem, nec præceptorem, nec Principem, parat in æstate cibum sibi, & congregat in messe, quod commedat* &c. Refert autem Aelianus Lib. IV. *de Nat. Anim.* Tanta sedulitate ad opus suum se conferre formicas absque ulla excusatione, aut prætextu, ut ne nocte quidem temperent a labore; modo luna sit plena. Adde ejusdem authoris dicta Lib.II. cap.XXV. de iisdem.

2 *Ipsa ferens humeris.* Plinius Lib.XI. cap.XXX. ait: *Si quis comparet onera corporibus earum: fateatur nullis proportione vires esse majores. Gerunt ea morsu. Majora aversæ postremis pedibus moliuntur, humeris obnixæ.* De Formicis Indicis plura tradidit Aelianus Lib.XVI. cap.XV. *de Nat. Anim.* quas canibus minores; sed majores vulpibus esse, asserit Phil. Beroal. ad illud Propert. Carmen.5. Eleg.XII. Lib. III.

Inda cavis aurum mittit formica metallis.

Easque raptores suarum opum lacerare interdum addit.

2 *Securæ præmia brumæ.* Al. *secuturæ.* Al. *prævia.* Al. *Brumæ, quæ incomoda vingant.* Al. *pro duro mense beumali.* Præmium, aliquando pro debita mercede usurpatur. Ovid. *Epist. Paridis* Ælenæ ℣. 19.

Præmia magna quidem; sed non indebita posco.

Hoc fortasse sensu Τὸ *præmia* heic tollerari poterit, quasi annona, quæ sibi formicæ parant, in hyemem certo futuram, sit præmium laboris æstivi. Cæterum

rum neſcio an hæc lectio ſit Lactantiana, quamvis meliores Mss. Codd. eam exhibeant, *& damno ſecuro porticum ruere*, dixerit Martialis Lib.I. Epig.82.

3 *Sed congero multa viciſſim*. Apud Phædrum ſic formica loquitur IV. *Fab.* XXIII. ℣.13. *Ego granum in hyemem ſtudioſe congero*, & quidem *viciſſim*: ſcilicet cum aliis, & per vices, tanto ordine diſtributas, ut Reipublicæ cujuſdam leges habere hæc animalia videantur.

XXIII.

MUSCA.

1. *Improba ſum, factor; quid enim gula turpe veretur?*
2. *Frigora vitabam, quæ nunc æſtate revertor;*
3. *Sed cito ſubmoveor falſo conterita vento.*

NOTÆ, ET CASTIGATIONES.

1 *Improba*: Id eſt *ſæva*, *& mordax*: nam Virgil. hoc ſenſu ait, teſte Servio æn.x. ℣.717.

. . . . . *Lavit improba taeter.*
Ora cruor &c.

Et Lucil. in Fragm. Lib.XXX.

Improbior multo, quam de quo diximus ante:
Quanto blandior, hoc tanto vehementio mordet.

Item Tò *improbus* etiam pro *inſatiabili* uſurpatur a Virgil. 1. Georg. ℣.119. ubi vide Servium. Sicuti etiam pro *magno*, & *audaci*, ut idem ibidem ℣.145. *labor improbus*. Unde Lucianus Muſcæ encomium ſcribens de quodam Authore narrat, quod is lauda-

re ſtudens Heroum præſtantiſſimum, non Leoni, non Pardali, aut Apro robur illius comparaſſe; ſed audaciæ unius Muſcæ, & intrepidis illius, *improbiſque* conatibus.

1. *Quid enim gula turpe veretur?* Valet heic *Gula*, quod fames maxima, ſeu *voracitas*, & *Liguritio*: unde Varro de *R. R.* Lib. III. cap. XVI. num. 6. inquit; *Liguriunt Muſcæ*.

2 *Frigora vitabam*. Lucianus ubi ſupra: *Tota hyeme*, inquit, Muſcæ ſine cibo vivunt, ſe lacunaribus maxime inſinuantibus. Omnia autem cum redeunt deguſtare volunt, præter oleum, quod bibiſſe illi certa mors eſt. Phaedrus *Fab.* IV. ℣. 19. Formicam inducit Muſcæ exprobrantem:

Mori contractam te cogunt frigora.

3 *Submoveor fulſo*: Al. *facto*. Al. *commoveor*. Scilicet: abire cogor aere, quacumque re agitato.

XXIV.

CURCULIO.

1. *Non bonus agricolis, non frugibus utilis hoſpes,*
2. *Non magnus forma, non recto nomine dictus:*
3. *Non gratus Cereri, non parvam inſumo ſaginam.*

NOTÆ, ET CASTIGATIONES.

1 *Curculio*: Quamvis per tertiam alphabeti literam ſcribamus; per ſeptimam tamen pronunciandum eſt; nam Varro hoc nomen per antiſtœchon dictum eſſe tradidit, quaſi *Gurgulio*; quod nihil aliud eſſe videatur, quam *guttur*. Vide ad cap. XI. *de Opif.* ſeg. 7.

eſt

Eſt autem vermiculus, quem ultra quatuor digitos non deſcendere, nec *amplius periclitari*, inquit Plin. H. N. lib XVIII. cap. XXX.

1 *Non bonus Agricolis* &c. Virgilius Lib. I. Georg. ℣. 185.

. . . . . *Populatque ingentem farris acervum Curculio* &c.

Imo fabæ, & lentes, aliaſque legaminum ſpecies, & frugum a curculionibus infeſtantur, teſte Columella Lib. I. cap. VI. num. 15. Ideoque ſubdit, *quæ niſi diligenter repoſitæ* ſint, celeriter ab eis conſumuntur. Anno proxime præterito tanta horum vermium multitudo in horreo cujuſdam mei affinis viſa eſt, ut ſpatio quadraginta dierum frumenti menſura, cujus pondus LXXX. librarum apud nos eſt, vix XXX. dederit. Id mirabile, quod extrinſecus grana intacta videbantur; ſed quum molæ fuiſſent ſuppoſitæ, & deinde cribro examinata, non farinam, ſed purum putum furfurem inde vidimus fuiſſe extractum. Hinc Varro Lib. I. de *R. R.* cap. LXIII. ait: *Tuendi cauſſa promendum id frumentum, quod Curculiones exeſſe incipiunt; Id enim, quum promptum eſt: in ſole ponere oportet aquæ catinos, quod eo conveniant, & ipſi ſe necent Curculiones.*

2 *Non recto nomine dictus.* Geſnerus: *forte inquit*, quia rectius *Curculio*, quam *Gurgulio* ſcribitur Heum. *Non recte dicor hoc nomine, quippe quod grandius eſt memet ipſo.* Sed longe abludunt a mente noſtri Poetæ. Siquidem nomina apud Romanos caſu recto proferuntur, in *jus* plerumque deſinentia. Vide Juſtum Lipſium *de nominibus Romanorum*, ubi ait: *Res digna nota; exceptis admodum paucis, omnia nomina apud Romanos in VS deſinere. Gurgu-*

lio

lio vero, ſeu *Curculio* potius obliquum eſt & *dativo*, ſeu *ablativo* ſimiliter deſinens.

3 *Non gratus Cereri*. De Cerere, quam frugum Deam Ethnici colebant, diximus ad Lib. I. cap. XVII. Heic pro ipſis frugibus uſurpatam puto; quemadmodum apud Virgil I. æn. ℣. 181.

Tum Cererem corruptam undis &c.

3 *Inſumo ſaginam*. Al. *ſed multa viro ſagina*. Al. *ſumo ſaginam*: Omne cibi genus ſignificat. Hinc Juvenalis Satyr. IV. a ℣. 67.

. . . . . *Genialis agatur*
Iſte dies. Propera ſtomachum laxare ſaginis.

Et Curculio Plauti, inſignis paraſitus A. II. ſcen. ultima extr. Comæd. Ejuſdem tituli:

Atque aliquid prius obtrudamus; pernam, ſumen, glandium:
Hæc ſunt ventri ſtabilimenta, panem, & aſſa bubula,
Poculum grande, aula magna: ut ſatis conſilia ſuppetant.

XXV.

MUS.

1. *Parva mihi domus eſt; ſed janua ſemper aperta*
2. *Exiguo ſumptu furtiva vivo ſagina:*
3. *Quod mihi nomen ineſt, Romæ quoque Conſul habebat.*

NOTÆ, ET CASTIGATIONES.

1 *Parva mihi domus eſt.* Ovid. Metam. lib. VI. ℣. 12.

Na-

Nata domo parva, parvis habitabat Hypæpis. Etenim: *Parvum parva deceni*, ut ait Horat. Lib.I. Epiſt.VII. Et Sappho ad Phaonem ℣.33.

Non mea deſpicias ſi ſum tibi corpore parva
Menſuramque brevis nominis ipſa fero.

1 *Sed Janua ſemper aperta*; Bachmannus emendavit: *Cui janua* &c. Plautus in Truculento A.IV. ſc.IV. ℣.15.

Cogitato, Mus puſillus quam ſit ſapiens beſtia,
Ætatem qui uni cubili numquam committit ſuam:
Quia ſi unum oſtium obſideatur, aliud perfugium
gerit.

2 *Furtiva vivo ſagina*. Ovidius Lib.I. Metam. pag.10. ℣.17.

Vivitur ex rapto. Al. *Furtivis nutrior eſcis.*

3 *Romæ quoque Conſul.* Lib.III. *Div. Inſt.* cap.XII. de utroque Decio Mure locuti ſumus.

XXVI.

GRUS.

1. *Littera ſum Cæli, penna perſcripta volantis.*
2. *Bella cruenta gerens volucri diſcrimine Maris.*
3. *Nec vereor pugnas dum non ſit longior hoſtis.*

NOTÆ, ET CASTIGATIONES.

1 *Littera ſum Cæli*. Ad hæc verba teſte Heum. in primo Codice Mſ. Anglicano hæc gloſſa legitur: *Grues enim ordine literato in aere volant*: Claudianus de Bello Getico ℣.477. de hiſce volatilibus loquens ait:

Quum

. . . . *Quum tepido permutant Strymonia Nilo,*
Ordinibus variis per nubila texitur alis
Littera, pennarumque notis inſcribitur aer.

Hujus rei rationem phyſicam reddit Cicero Lib. II. *de Natura Deorum* hiſce verbis: *Quum loca calidiora petentes, Maria tranſmittunt, trianguli efficiunt formam. Ejus autem ſummo angulo aer ab iis adverſus pellitur; deinde ſenſim ab utroque latere tamquam remis, ita pennis curſus avium levatur. Baſis autem trianguli, quam efficiunt grues, ea, tamquam a Puppi, ventis adjuvatur, eaque in tergo prævolantium colla, & capita reponunt; quod quia ipſe dux facere non poteſt, quia non habet unde nitatur, revolat, ut ipſe quoque quieſcat, in ejus locum, ex iis, quæ adquierunt, eaque viciſſitudo in omni curſu conſervatur.*

2 *Bella cruenta gerens.* Homerus Lib. III. *Iliad.* a V. 2. Trojanos hiſce avibus comparat, hac ſimilitudine:

Trojani quidem ſonituque, clamoreque ibant:
aves ſicut,
Velutque ſonitus Cruum eſt cælitus ante,
Quæque poſtquam hyemem fugerunt, & immenſum hymbrem
Sonitu hæ volant in Oceani fluctibus,
Viris Pigmæis, cædem, & fatum ferentes.
Aeriſque hæ malam contentionem fecerunt.

Hinc fabula Belli Grues inter, & Pigmæos peracti, de quo infra dabimus hiſtoriam.

2 *Volucri diſcrimine maris.* Heum. legit *Martis*; ſed male; nam Poeta fabulam cum hiſtoria componit, ut ænigmatis obſcuritatem ſimul, & claritatem

tem conciliet. Siquidem Plinius narrat, Pygmæos in extrema Indiæ parte, quæ Gangis fontem antecedit, habitare, eoſque vocat *Spithamæos*, quia ternas Spithamas longitudine, hoc eſt ternos dodrantes non excedunt. Hi a Gruibus infeſtantur, ideoque *Fama eſt, infidentes arietum, Caprarumque dorſis, armatos ſagittis, veris tempore univerſos agmine ad mare deſcendere, & ova, pulloſque earum alitum conſumere. Ternis eam expeditionem meuſibus conficere, nec aliter futuris gregibus poſſe reſiſtere.*

3 *Dum non ſit longior hoſtis.* Heic iterum ad fabulam revertitur Poeta: quaſi de prælio vere committendo ibi ſermo ſit: Ubi, ut Juvenalis ait Sat. XIII. V. 137.

. . . . . *Tota cohors pede non eſt altior uno.*

Potuit etiam Poeta reſpicere ad Gruem piſcem marinum, de cujus generatione ex volatilibus ſui nominis, vide Ælian. de *Nat. Anim.* Lib. XV. cap. IX.

XXVII.

CORNICULA.

1. *Vivo novem vitas ſi non me Græcia fallit,*
2. *Atraque ſum ſemper, nullo compulſa dolore;*
3. *Et non iraſcens ultro convicia dico.*

NOTÆ, ET CASTIGATIONES.

1 *Vivo novem vitas*: Heſiod. ex Plutarcho ait:
Novem vivit ætates garrula Cornix

Ho-

Hominum, qui juventute florent.
Ad quod respiciens Plinius Lib. VII. Cap. XLVIII. *Hesiodus*, inquit, *qui primus aliqua de hoc prodidit, fabulose, ut reor, multa de hominum ævo referens, Cornici novem nostras attribuit ætates.* Ideo utrumque Lactantius præ oculis habens subdit:

1 *Si non me Græcia fallit: Nam Græcis historicis plerumque poeticæ simillis est licentia*, ut ait Quintil. Lib. II. *Inst. Orat* cap. IV. Quod si hoc audet *Græcia mendax*, ut habet Juvenal. Sat. X ℣. 174. in historia, quid quæso non audebit in lusu poetico?

2 *Atraque sum semper* &c. Romani non solum quum funera propinquorum suorum curabant, atrati in pullis togis incedebant; sed etiam quum gravi aliquo premerentur infortunio. Sic Marcus Antonius Triumvir terra, marique ab Augusto victus, & Imperatoria potestate spoliatus, lugubrem habitum assumpsit, unde Horat *Epod.* Ode XI.

Terra marique victus hostis, punico
Lugubre mutavit sagum.

2 *Nullo compulsa dolore.* Al. *nullo complexa dolore.* Hanc Cornicularum naturalem proprietatem illæ potissimum imitantur fœminæ, & viri, qui in suorum funeribus atra induuntur veste, *quæ toto colore dissentit ab animo*, ut alter Firmianus ait: in *somn. Sapientis* 1. quod scite inscripsit: *Scena doloris*; Comœdiam enim ab iis agi quis neget; ita ut

. . . . . *Moveat cornicula risum*
Furtivis nudata coloribus?

ut ait Horat. Lib. I. Epist. III.

3 *Ultro convicia dico.* Ludit Poeta ambiguitate vocabuli, inquit Heum, nam *convicium*, non solum male-

maledictum contumelioſum ſignificat; ſed etiam *clamorem*, *ac vocis ſtrepitum faſtidioſum*. Unde & Cicadarum, & ranarum voces, convicia dixit Ovidius.

XXVIII. Al. XXIX.

VESPERTILIO.

1. *Nox mihi dat nomen primo de tempore noctis*,
2. *Pluma mihi non eſt, quum ſit mihi penna volantis*,
3. *Deſideo in tenebris, nec me committo diebus*.

NOTÆ, ET CASTIGATIONES.

1 *Primo de tempore noctis*. Primum noctis tempus, *veſper*, ſive *veſpera* dicitur, & quidem cum addito *Primus*, & *Prima*. Cæſar. Lib.II. Bel. Civ. *Magiſtriſque imperat navium, ut primo veſpere omnes ſcaphas ad littus appulſas habeant*. Livius Lib.IV. Bell. Maced. *Tabellas conſcriptas celeberrimo loco ſupra ſedem cotidianam Magiſtratuum prima veſpera ſuſpendit*: Hinc Veſpertilio, quod per id tempus ſe ad volatum proferat, dicitur; non enim heic de more Eccleſiaſtico loquimur, ſecundum quem veſpertinum tempus, ante crepuſculum ſerotinum incipit.

2 *Pluma mihi non eſt, quum ſit mihi penna volantis*. Plin. Lib. X. cap. 1. *Volucrum animal parit Veſpertilio tantum, cui membrana, ceu pennæ*.

3 *Deſideo in tenebris*. Animal iſtud medium quodammodo eſt inter aves, & mures ita, ut *Mus alatus* di-

dici posse, quibusdam visum sit; in latebris degit, nec eas deserit, nisi quum vesperascit.

3 *Nec me committo diebus*: Scilicet *luci*. Quod quidam dicunt ex eo fieri, quia adeo delicata est ejus pupilla, ut non solum solaribus radiis; sed etiam clara quacumque luce perstringatur. Sunt qui *vespertilionem* pessime cum noctua confundant; sed errant tota specie. Quum hæc sit vera avis, ille autem minime. Vide Plinium de utraque.

XXIX. Al. XXVIII.

E R I C I U S.

1. *Plena domus spinis parvi sum corporis hospes;*
2. *Incolumi dorso telis confixus acutis,*
3. *Sustinet armatas segetes habitator inermis.*

NOTÆ, & CASTIGATIONES.

1. *Nicolaus Perottos*, insignis Grammaticus, quem sæpe sub Sypontini nomine laudavimus, legit *Hericius*, idemque esse putat ac *Herix*, seu *Herinaceus*; quamvis tam in Mss.; quam in editis hactenus hujus ænigmatis titulis scriptum sit *Ericius*.

1 *Plena domus spinis*. Animal istud spinis horridum, & ex eo quod spinis horreat sic dictum. In cavis arboribus Plinius ei tribuit habitationem, quamvis Psal.CIII. ℣.19. dicatur: *Petra refugium Herinaceis*. Quod expositores explicant de rupibus, quæ perfugium præbent hujusmodi animalibus. Ea tamen in

in Silvis noſtris rara non ſunt. Plin. Lib. VIII. ca. XXXII. de eis loquens, inquit; *ubi vero ſenſere venantem contracto ore pedibuſque, ac parte omni inferiore, qua raram, & innocuam lanuginem habent, convolvuntur in modum pilæ, ne quid comprehendi poſſit præter oculos. In deſperatione vero urinam ex ſe tabificam redduut tergori ſuo, ſpiniſque noxiam, propter hoc ſe capi gnari. Quamobrem exinanita prius urina, venari ars eſt, & tum præcipua dos tergori, alias corrupto, fragili, putribus ſpinis, atque deciduis, etiam ſi vivat ſubtractus fuga.* Confirmat hoc Aelian. de *Nat. Anim.* Lib. iv. Cap. xvii, Quod tamen perſpicue falſum eſt; ſiquidem ego quatuor quondam in horto habui ex venatione aſportatos Erinaceos, & per totum fere autumnum eos in angulo, ſeptis clauſo, ſervari diligenter curavi, nec unam vidi eorum ſpinam aut deciduam, aut putrem: ſed tempeſtas inopinata, quum quadam die abeſſem, illos imbre multo, quem vitare non poterant, ſuffocavit.

1 *Parvi ſed corporis hoſpes*. Neceſſe erat iſtahæc addere, ut ſic diſtingui poſſet ab Hiſtrice, quæ corpore grandior eſt, & lepore major, ſuoſque aculeos tanta vi, & arte jaculatur, ut non raro canum oculos, & ora confodiat. Capitur tamen viva; ſed nullo pacto poteſt manſue fieri, aut cicurari.

2 *Incolumi dorſo &c.* Scilicet illæſo, & incolumi dorſo ſum; quamvis undique confixus ſim acutis telis: ubi pro *confixus* Al. habent *completus*.

1 *Suſtineo armatas ſegetes*. Al. *armatus* Al. *Sedes* Virgil. Lib. III. æn. ℣. 45.

. . . . . *Hic confixum ferrea texit*
Telorum ſeges, & jaculis increvit acutis.

3 *Habitator inermis*. Quum Ericii tota pars interior, ipſumque os, & pedes ſola cooperiantur, & quidem molli lanugine, hinc *hoſpes inermis* eleganter dicitur ſpinoſæ domus.

XXX.

PEDICULI.

1. *Eſt nova notarum cunctis captura ferarum,*
2. *Vt ſi quid capias, id tu tibi ferre recuſes,*
3. *Et quod non capias, tecum tamen ipſe reportes.*

NOTÆ, ET CASTIGATIONES.

1 *Eſt nova notarum &c.* Pediculorum capturam ſemper nec novam eſſe, nec hominibus ignotam, ſciunt omnes; ſed hæc nova dicitur ob modum, quo fit. Utitur autem Lactantius vocabulo *ferarum*, quod omnibus ratione carentibus animalibus, quæ natura feruntur, commune eſt, quamvis vulgus pro feris ſolumodo illud uſurpare conſueverint.

2 *Tibi ferre recuſes &c.* Quum quidam Seraphici S. Patris Franciſci vitæ ſcriptor de eo narraſſet, ſolitum fuiſſe eum hujuſmodi animalibus, ceu humilitatis, ac mortificationis inſtrumentis, uti, graviter a Melchiore Cano incuſatus eſt, quaſi talem eum exhibuiſſet, qualem eſſe non decebat *de loc. Theol.* Lib. XI. Cap. VI. *Ecquis enim credat, divum Franciſcum pediculos ſemel excuſſos in ſe ipſum ſolitum eſſe immittere? Quod ad ſanctitatem viri ſcriptor pertinere putavit: equidem non puto, qui paupertatem*

tem ſciam viro ſanctiſſimo placuiſſe ſemper, ſordes nunquam. Quod etiam Seraphicæ Sanctæ Matris noſtræ Thereſiæ exemplo poterat vir doctiſſimus confirmare, utpote quæ piiſſima oratione a ſe vernaculo ſermone numeris ligata, a Deo obtinuerit, ne hiſce animalibus ipſa, ſuæque filiæ infeſtarentur, & quamvis optime ſciret munditiam in cilicio non eſſe quærendam; docuit tamen, ſordidam non Deo aut hominibus aliquando ſanctitatem placuiſſe.

3 *Et quod non capias &c.* Herodoctus in vita Homeri prope finem narrat, quoſdam piſcatores in littus, in cujus crepidine Poeta infirmus jacebat, è navicula egreſſos, hoc adſtantibus ænigma ſolvendum propoſuiſſe: *Nos quæcumque cepimus, reliquimus; quæ vero non cepimus, nobiſcum portamus*. Et quum nemo id interpretari poſſet, ipſi ſic explicarunt: ſe quum piſcium capturæ fruſtra inſudaſſent; in ſicco deſidentes, pediculos venatos eſſe, & horum quotquot cepiſſet, abieciſſe; quos autem non invenerant, ſecum retuliſſe. Pediculorum morbo, e carnibus ſuis ſcaſentium, ibidem eundem Poetam, vivis ereptum idem refert hiſtoricus, ex quo nata eſt fabula, Homerum ænigmatis perplexitate occubuiſſe. In titulo quidam legunt: *Piſcator, & Piſciculi*.

XXXI.

POENIX.

1. *Vita mihi mors eſt, morior. ſi cœpero naſci:*
2. *Sed prius eſt fatum, lætæ quam lucis origo.*
3. *Sic ſolus manes ipſos mihi dico parentes.*

NOTÆ, ET CASTIGATIONES.

Vita mihi mors est: Lactantius in carmine de Phœnice, quod infra illustrabimus ℣. 77.

Construit inde sibi seu nidum, sive sepulchrum
Nam perit, ut vivat; se tamen ipsa creat.

1 *Si cœpere nasci* Idem ℣. 92.

. . . . . *Exequiis immoritura suis*

Et ℣. 165.

Mors illi ventus est: sola est in morte voluptas;
Ut possit nasci hæc appetit ante mori.

2 *Sed prius est fatum &c.* Idem a ℣. 99.

Hos velut in mussam cineres in morte coactos
Conflat, & effectum seminis instar habet.

Al. *Sed prius est factum*. Al. *læti* Al. *Lathi*. Al. *loca*.

3 *Sic solus manes* &c. Al. *mares*. Idem Lact. ibidem ℣. 167.

Ipsa sibi proles, suus & pater, & suus hæres,
Nutrix ipsa sui, semper alumna sibi.

Vide ibidem reliqua.

XXXII.

TAURUS.

1. *Mœcus eram Regis; sed lignea membra sequebar,*
2. *Et Cilicum mons sum; sed non sum nomine solo:*
3. *Et vehor in cælis, & in ipsis ambulo terris.*

NOTÆ, ET CASTIGATIONES.

1 *Mœcus eram Regis* &c. Alludit ad Pasiphaæ fabulam, de qua Hyginus f. xl. Palepb. cii. Orid. IX. Me-

Metam; & paucis Virgil. æn. VI. ℣. 24.

Hic crudelis amor tauri, ſuppoſtaque furto
Paſiphaæ, mixtuſque genus, proleſque biformis
Minotaurus ineſt; veneris monumenta nefandæ.

Al. *Nec Bos eram Regis.*

1 *Sed lignea membra ſequebar* Ligneæ nempe Vaccæ, a Dedalo fabricatæ, & bovilla pelle indutæ.

2 *Cilicum mons.* De hoc monte egimus in Libro de MM. PP. ann. ad Cap. XL. A. *Cilicus mons.* Ovid. Lib. II. *Metam* ℣. 117.

Ardet Athos, Tauruſque Cilix, & Tmolus: & Oete.

2 *Sed non ſum nomine ſolo*: Heum. corrigere ſic auſit: *Sed non hoc nomine ſolo*: quia Plin. hiſt. Nat. Lib. V. Cap. XXIV. inquit: *Numeroſis nominibus, & novis quacumque incedit inſignis eſt.* &c. ego vero omnium Ms. codd. ſcripturam ſervo, & ſenſum eſſe puto; Montem illum non ſolum eſſe Taurum nomine; ſed etiam figura, ob longam extenſionem, quam, ubi ſupra, deſcripſimus, ſed ob conjunctionem cum alio ſibi proximo. Jugum enim, quod a jungendo dicitur, & bovum eſt, & montium. Virgil. Eclog. V.

Dum juga montis aper &c.

Et Cic. Verr. V. *Quid. qui in ſingulis jugis amat.*

3 *Et vehor in cælis* Al. *in cælo*: Hyg. in *Poet. Aſtronon.* Cap. XXI. de Tauri conſtellatione ait: *Hic dicitur inter aſtra eſſe conſtitutus, quod Europam incolumem tranſvexerit Cretam, ut Euripides dicit. Nonnulli ajunt, quum Io in bovem ſit converſa, ut Jupiter ei ſatisfacere videretur, inter ſidera conſtituiſſe.*

XXXIII.

LUPUS.

1. *Dentibus insanis, ego sum, qui vinco bidentes,*
2. *Sanguineas prædas, quærens, victusque cruentos*
3. *Multa cum rabie: Vocem quoque tollere possum.*

NOTÆ, ET CASTIGATIONES.

1 *Dentibus insanis.* Al. *Insanguis.* Ex Varrone *insanum* dictum est propterea quod insani omnia vehementer faciant; ideoque dentibus Lupinis bene ob hanc rationem quadrat hocce additum; non autem quia venefici sint, aut minus sani; Imo si Plinio credimus, *Lupi dexter caninus dens in magnis habetur operibus.* Lib. XI. Cap. XXXVII.

1 *Qui vinco bidentes.* Ludit Poeta in voce ambigua; Bidens enim Instrumentum fossorium est, quod duo habet cornua, quibus arborum radices e terra extrahuntur, ac duriores glebæ franguntur a fossoribus: Virgil. Lib. II. Georg. ℣. 355.

. . . . . *Et duras jactare bidentes.*

Simul etiam & *Ovem* significat, quæ duos dentes habet ceteris longiores, Festo Authore; quamvis ex Nonio ad illud Virgilii; VI. æn. ℣. 36.

. . . . . *Totidem lectas de more bidentes.*

Hi, qui existimant ob eam causam Oves a Poeta bidentes dictas, quod duos dentes habeant, pessime, ac vitiose intelligunt; nam nec duos dentes habent, & melius intelligi potest, si biennes dixeris authoritate Pomponii in Atellana: *Mars tibi voveo facturum, si unquam redierit, bienni verre.* Vide Gel-

Gellium Llb. xvi. Cap. vi. ſi plura hac de re deſideras.

2 *Victuſque cruentos*. Al. *Rictuſque*. Si Lupis animalium, quibus veſcuntur, carnes non ſint, ſtimulante ſtomachum fame, terra ipſa cibus eſt, teſte Plin. Lib. viii. Cap. xxii. Immo Pagos, & Domos eos ingreſſos fuiſſe turmatim ad homines infeſtandos hyeme ſumma, villici noſtri in montanis degentes, mihi retulerunt, quum illuc ad Sibyllæ montem, & ſpecum inſpiciendum me contuliſſem.

3 *Multa cum rabie*. Sic omnino interpunge, & legas, ubi Al. *multam cum rabiem*. vel *Mixtaque cum rabie*. vel *mixta & rabie*. Nam fames rabiem Lupis creat, & canibus: hinc remedium idem ad morſum illorum laudat Columel. Libro vi. Cap. xiii. num. 1. Virg. ix. Æned.a ℣. 59: egregie rabie famis Lupum actum deſcribit hiſce carminibus:

Ac veluti pleno Lupus inſidiatus ovili,
Quum fremit ad Caulas, ventos perpeſſus, & imbres.
Nocte ſuper media . . . . .
. . . . . Ille aſper, & improbus ira.
Sævit in abſentes; collecta fatigat edendi
Ex longo rabies, & ſiccæ ſanguine fauces.

Qui autem legunt ſine interpunctione, ii *rabiem* pro *ravie*, ſeu *raucitate* vocis accipiunt, ſed minus apte: nam qui hoc morbo laborant, rauci ſunt; non tamen alios raucos faciunt, quod de Lupis alia ratione dicitur.

3 *Vocem quoque tollere poſſum*. Plin. ubi ſupra. *In Italia quoque creditur, luporum viſus eſſe noxius.*

vocemque homini, quem priores contemplentur, adimere ad præsens: Unde Virgil. Ecc. IX. ℣. 58.

. . . . . *Vox quoque Mœrim.*

Jam fugit ipsa: Lupi Moerim videre priores. Quod etiam Solinus ex utroqoe refert *Polist.* Cap. VIII. Ubi vide Salmasium.

Ego vero etsi non ignorem, effluvia quædam tabifica, quorumdam animalium oculis emitti posse, quibusdam præsertim temporibus: hanc tamen vim confidenter nego oculis Luporum, quum contrarium me experientia docuerit, pluresque habeam hac de re oculatos testes; fabulam autem inde natam judico, quod pastores, præsertim adolescentes, viso Lupo, nimio timore perculsi, uti repente exterriti omnes, vocem amittunt ex vehementi cordis palpitatione, & ex desiccata aspera arteria, quæ voci iter præbet. Vide quæ de voce dicimus ad Lib. de *Opif. Dei*. Cap. v.

XXXIV.

VULPES.

1. *Exiguum corpus; sed cor mihi corpore majus.*
2. *Sum versuta dolis; arguto callida sensu;*
3. *Et fera sum sapiens, sapiens fera si qua vocatur.*

NOTÆ, ET CASTIGATIONES.

1 *Sed cor mihi corpore majus*: Scilicet proportione membrorum servata. Vide quæ diximus ad cap. XIV. *de Opif. Dei*: ex cordis magnitudine timiditas, & cal-

& calliditas in animalibus arguitur a quibuſdam Philoſophis, Plinio teſte Lib.XI. cap.XXXVII. Ideo bene ſubditur.

3 *Sum verſuta dolis.* Quanta in ſtruendis inſidiis ſolertia Vulpes polleat, ut animalia, præſertim volatilia facile decipiat, illud ſatis oſtendit, quod mortuam ſe ſimulat, diuque, ceu abjectum jacet cadaver, fœtidum etiam ſpirans odorem; ſed repente conſurgens, mortem, quam ipſa ſimulaverat, incautis avibus affert, & ex earum carnibus epulas ſibi parat. Hinc Spartanorum ducis Liſandri vulgatum illud Principibus monitum, quo abuti ſolent, invectum eſt: *Vt quum* ſub pelle Leonis non proficit, Vulpina uti debet. Ideoque de Herode Chriſtus Dominus dixit Luc.XXIII. ℣. 32. *Dicite Vulpi illi.* Al. *Cum verſuta.*

2 *Arguto callida ſenſu*: Viſu acutiſſimo prædita eſt Vulpes, & de ejus auditu inquit Plin. Lib.VIII. cap.XXVIII. *Vulpes, animal eſt ſolerti auditu pollens; nam amnes gelatos, lacuſque non niſi ad paſtus ituræ, redituræque tranſeunt. Obſervatum autem eſt; eam aure ad glaciem appoſita, conjectare craſſitudinem gelu.* Aelianus vero Lib.VI. cap.XXIV. *de N. Anim.* addit: *Si fluxum ſubtus non reſonare, neque ſtrepitum in fundo ſentit, glaciei ſe tamquam ſolidæ committit, ac tranſit; ſin aliter nequaquam.* Item ut in æſtate culices, a quibus infeſtatur abjiciat, ſe adverſo dorſo ſenſim in flumen demergit, eoſque aſſurgere compellit uſque ad ſumma labia, quibus ſtipulas ſtringit, & tunc ſolummodo dimittit in aquas, quum ad eas jam culices irreſperint, ſeque ab eis liberam ſenſerit. Numquam ſenſum perdit, nec mores mutat; ideoque Perſius Sat.V. ℣.116.

Pel-

Pelliculam veterem retines, & fronte politus;
Astutam rapido servas sub pectore Vulpem.

3 *Sapiens fera si qua vocatur*. Lactantius Lib. IV. cap. I. *Nemo . . . . potest jure dici homo, nisi qui sapiens est*. Et bene; nam sapere quum ad animum transfertur, intelligentis est: Unde Terent. *Adelph.*

. . . . . *O Demea*
Istuc est sapere, non quòd ante pedes modo est
Videre; sed etiam illa, quæ futura sunt.

XXXV.

CAPRA.

1. *Alma Jovis nutrix, longo vestita capillo,*
2. *Culmina difficili peragrans super ardua gressu:*
3. *Custodi pecoris tremula respondeo lingua.*

NOTÆ, ET CASTIGATIONES.

1 *Jovis nutrix*. Vide Lactantium nostrum Lib. I. cap. XXI. ubi ait: *Capella est Amaltheæ Nymphæ, quæ uberibus suis aluit infantem*. I. E. Jovem. Ovidius in *Fastis* Lib. III. a ℣. 443. & Lib. V. a ℣. 113. de eadem fabula differuit, & German. in Arateis ℣. 164.

1 *Longo vestita capillo*. Capillos, quasi *capitis Pilos* etiam pro pecorum velleribus Latini dixerunt: Gellius Lib. XII. cap. I. *Si Ovium lacte hædi, aut caprarum agni, alerentur: constat ferme in his lanam duriorem, in illis capillum gigni teneriorem*.

2 *Culmina difficili peragrans*. In arduis montium jugis,

jugis, & in rupium crepidine gaudet erbas decerpere hoc animal. Hinc S. Gregorius Nyſſenus *Hom.* xv. *In Cant. Cantic.* dicit, quod per ſaxa ſine ulla pedum offenſione tendat; & circa præruptos montium vertices verſetur: immo per loca tranſitu difficilia fidenter incedat: idque apte, eleganterque iis accomodat, qui aſperam virtutis viam ingreſſi, per eam inoffenſo pede ad altiora ſemper ſeſe extollunt.

3 *Cuſtodi Pecoris*. Al. *pecorum*. Hoc animal, teſte Aeliano Lib. VII. *de Nat. Anim.* cap. XXVI. *Indignum putans ſe in extremo ovilli pecoris agmine incedere, gregem quidem præcurrens antegreditur; at ipſam hircus tum barbæ fiducia, tam naturæ quodam inſtintu, genus maſculum fœmineo præferens, antecedit.*

3 *Tremula reſpondeo lingua*. Ibidem de capra dicitur, quod prænoſcat, quum proximum eſt, ut juguletur, & ob timorem contremiſcat.

XXXVI.

PORCUS.

1. *Setigeræ matris fœcundæ natus in alvo,*
2. *Deſuper ex alto viridis expecto Saginas;*
3. *Nomine numen habens, ſi littera prima periret.*

NOTÆ, ET CASTIGATIONES.

1 *Setigeræ Matris* &c. Virgil. XI. æn. ℣. 199. *Setigeroſque ſues.*

Na-

1 *Natus in alvo* : Eſt enim animal viviparum. Heum. *ab alvo*.

2 *Deſuper ex alto* : Scilicet ex arboribus.

2 *Virides expecto ſaginas*. Nempe glandes. Al. *paſtus expecto virentes*.

3 *Si littera prima periret*. Scilicet P., qua dempta remanet *Orcus* Lact. Lib.I. cap.XIV. *Pluto latine eſt Dieſpiter, alii Orcum vocant*. Aelianus tamen Porcum dicit, eſſe animal ſane iniquum, injuſtumque, utpote quod ne cadaveribus quidem ſui generis abſtinet. Lib.VII. cap.XIX. *de Nat. Anim.*

XXXVII.

MULA.

1. *Diſſimilis Patri, Matris diverſa figura,*
2. *Alterni generis, generi non apta propago.*
3. *Ex aliis naſcor; nec quiſquam naſcitur ex me.*

NOTÆ, ET CASTIGATIONES.

1 *Diſſimilis patri* &c. Plin. Lib. VIII. cap.XLIV. ait: *Equo, & Aſina genitos mares, hinulos antiqui vocabant; contraque mulos, quos Aſini, & Equæ generarent. Obſervatum eſt, duobus generibus diverſis, nata, tertii generis fieri, & neutri parentum eſſe ſimilia.*

2 *Alterni generis*. Heum. *confuſi generis*. Sic etiam Pithœus. Servo lectionem noſtri Codicis; nam heic Tò *alterni* idem valet ac *utriuſque*. Nempe *viciſſim* modo ab Equo, modo ab Aſino generatur hoc Animal.

Ge-

2 *Generi non apta propago*. Subdit idem Plinius: *Eaque ipſa, quæ ita nata ſunt, non gignere, in omni animalium genere: iccirco mulos non patere. Eſt in annalibus noſtris, peperiſſe ſæpe; verum prodigii loco habitum. Theophraſtus vulgo parere in Cappadocia tradit; ſed eſſe id animal ſui generis*. Vide heic Harduinum, & Salmaſium.

3 *Nec quiſquam naſcatur ex me*. Columel. Lib. vi. cap. XXXVII. num. 4. *Quidam vero non diſſimulandi authores, ut M. Varro, & ante eum Dionyſius, ac Mago, prodiderunt, Mularum fœtus regionibus Africæ adeo non prodigium haberi, ut tam familiares ſint incolis partus earum, quam ſint nobis Equarum*. Qui ergo fieri poterat, hoc a Lactantio ignorari ſi in Africa adoleviſſet? Qua ratione hoc ibidem ab eo prolatum eſſe quiſpiam ſibi perſuadeat? Sed Heumanno hæc ignota erant, ideoque vel a Mula diſcat Lactantium nec Africanum eſſe, nec Siccæ in Numidia hæc diſcere potuiſſe; ſed in Italia, ubi Varrone, Dionyſio, Columella, Plinio, aliiſque innumeris teſtibus, Mulæ non pariunt.

XXXVIII.

TIGRIS.

1. *A Fluvio dicor, Fluvius vel dicitur ex me:*
2. *Junctaque ſum vento, vento velocior ipſo:*
3. *Et mihi dat ventus natos; nec quæro maritum.*

NOTÆ, ET CASTIGATIONES.

1 *A Fluvio dicor*. Tigris unum eſt e quatuor flu-

fluminibus, in quos partitur flumen illud, quod de loco voluptatis egreditur ad irrigandum Paradiſum, ut habetur Gen. II. a ℣. 10. Plinius Lib. VI. cap. XXVII. diligenter exordia ejus, & curſum omnem perſecutus eſt, quem deinde Geographi cum Ptolomæo confirmarunt. Oritur autem, ſecundum eorum relationes, in Armenia majori, fonte ſatis in quadam planitie conſpicuo, ex qua tardior fluit, & nomen *Diglit*, ſeu *Tigil* fert ſecum; at cum primum per clivum deſcendere incipit, tanta concitatur celeritate, ut a Medis *Tigris*, id eſt, eorum lingua, *Sagitta* appelletur.

1 *Vel dicitur ex me*. Natalis Comes Lib. V. *Mythol.* cap. XIII. refert, veteres quoſdam in ea fuiſſe opinione, fluvium ſcilicet iſtum nomen traxiſſe ab ea Tigride, qua Baccus mare trajeciſſe ferebatur. Intellige navigium hocce nomine appellatum.

2 *Junctaque ſum vento*: Scilicet tamquam uxor marito, ob ea, quæ mox dicemus.

2 *Vento velocior ipſo*. Per hyperbolem dictum hocce eſt, ut illud Virgil. XII. æn. verſ. 84.

Qui candore nives anteirent, curſibus auras.

3 *Dat ventus natos*. Lactius Lib. IV. cap. XII. indefinite dixit, animalia quædam vento concipere ſolere, tamquam rem omnibus notam; & quidem de Equabus id proditum eſt ab Ariſtotele, Caryſtio, Athenæo, Homero, Varrone, Virgil. Silio Ital. Columella, Plinio, Solino, Juſtino hiſt., & aliis apud Salmaſium. Idem de Perdicibus Plin. Lib. X. cap. XXXIII. ait: *Hiantes autem exerta lingua per id tempus æſtuant, concipiuntque ſupervolantium afflatu, ſæpe voce tantum audita maſculi*. De Tigride autem nunquam

quam hoc me legiſſe memini: potius oppoſitum habetur apud Aelianum Lib. VIII. *de Nat. Anim.* Cap. 1. ubi ex Indicarum rerum ſcriptis narrat, maſculas tigrides cum canibus fœminis coire conſueviſſe, ex quo congreſſu non canes; ſed tigrides naſci; quamquam qui ex hoc partu nati ſunt, ſi Cani foeminæ jungantur matri ſimilis canes procreant audaciſſimos, qui non niſi cum Leonibus congrediuntur. Vide ibidem hiſtoriam ab eodem narratam, in qua ſpectaculum M. Alexandro dignum, invenies.

3 *Nec quæro Maritum.* Plin. Lib. VII. cap. XVII. de tigride loquens ait: *Maribus enim cura non eſt ſobolis.*

XXXIX.

CENTAURUS.

1. *Quatuor inſignis pedibus, manibuſque duabus,*
2. *Diſſimilis mihi ſum, quia ſum non unus, & unus.*
3. *Et vehor, & gradior, quia me mea corpora portant.*

NOTÆ, ET CASTIGATIONES.

1 *Quatuor inſignis pedibus.* De Centauris, ſeu Hippocentauris hiſtoriæ, & fabulæ loquuntur. Plinius Lib. VII. cap. III. ait: *Claudius Cæſar ſcribit, Hyppo-Centaurum in Theſſalia natum, eodem die interiiſſe, & nos principatu ejus allatum illi ex Ægypto in melle vidimus*; ſed formam non deſcripſit; quam tamen egregie a Zeuſi adumbratam in tabula, cu-

cujus exemplum Athenis se vidisse narrat Lucianus in *Zeusi*, seu *Anthioco* num. 4. Aelianus Lib.xvii. *de Nat. Anim.* cap.ix. *Fama*, inquit, *pervagatum est, Centaurorum nationes fuisse, neque fictores, atque pictores in corum descriptione mendaces fuisse; sed eos quoque a tempore productos, & gemina diversæ naturæ corpora in unum coaluisse, non negabit. Verum sive revera fuerint, sive omni cera flexibilior, & ad fingendum habilior fama illos finxerit, tamquam dimidiato hominis, & altero equi corporibus parmixtis, & una conciliatis anima, prætereo.* De Onocentaura autem, quam ibidem describit, Pythagoram narrasse testatur Crates ex Mysio Pergamo, S. Hieronymus in vita S. Antonii ejus figuram proponit hisce verbis: *Comperit hominem equo mixtum, cui opinio Poetarum Hippocentauro vocabulum indidit.* Plutar. *in Conviv. septem Sapiens.* refert: Regi Corinthiorum Periandro, allatum fuisse infantem, equæ partu editum, superne ad cervicem usque, & manus, humana forma, reliquas partes equinas habentem; cæterum in morem hominum recens natorum vagientem, ac quum Rex scisciatus esset Thaletem, quid rei esset, quidque de eo spectaculo ei videretur? Illum respondisse ait: *Tibi Consulo, ut equarum pastoribus non utaris; aut eis des mulieres.* Quasi ex homine, & equa hujusmodi animal nasci posse censeret, quod merito negant Plutar. *de Vitando ære alieno*, & Lucian. *de Saltation.* num. 48., & Lucretius eleganter de more canit. Lib.v. a ℣.880.

Sed neque Centauros fuerunt, neque tempore in ullo

Esse

Eſſe qucat duplici natura, & corpore bino
Ex alienigenis membris compacta poteſtas.

At S. Hieronym. inter monſtra, quorum fertilis Ægyptus dicitur, illos recenſere videtur, & a Chimæra, & Hydra diſtinguit, quia in Iſaia legitur cap. XXXIV. verſ. 14. *Et occurrent Dæmonia Onocentauris, & Pilosus clamabit alter ad alterum.* Vide Phlegontem Trallian. *de Mirabil.* Lib. I. cap. XXXIV., Et Galen. *de Vſu Part.* Lib. III. cap. I.

2 *Quia ſum non unus, & unus.* Scilicet nec unus homo, nec unus Equus, aut unus Aſinus, quæ animalia ab hiſce vocabulis ſignificantur.

3 *Et vehor, & gradior* Palephatus Lib. *de Incredib.* cap. I., & Tzetzes *in Chiliad.*, quamvis inter ſe diſcrepant in expoſitione Fabularum, quas de Centauris refert Hyginus Fab. XXXIII, XXXIV., & LXII. attamen illud de earum origine compertum eſſe apud omnes videtur, quod etiam Diodorus, Apollodorus, Strabo, aliique tradiderunt, nempe quia quum Lapitæ Pelethronii, qui Theſſaliæ populi ſunt, equitandi uſum reperiſſent, ii qui hoc ignorabant, unum animal equitem quemcumque crediderunt. Unde Virgil. III. æn. a verſ. 115.

Fræna Pelethronii Lapithæ, gyroſque dedere
Impoſiti dorſo, atque equitem docuere ſub armis
Inſultare ſolo, & greſſus glomerare ſuperbos.

Ubi Servius. *Hi viſi, aut quum irent velociter, aut quum eorum equi circa flumen Peneon potarent, capitibus inclinatis, locum fabulæ dederunt, ut Centauri eſſe crederentur: qui dicti ſunt Centauri ἀπὸ τῆ κεντᾶν τοὺς ταύρους.*

3 *Quia me mea corpora portant.* Scilicet & ve-

hor, & gradior, quia meum corpus, quaſi dupplex ſimul portat, & portatur. Idem Virgil. Lib. VIII. æn. verſ. 293. Centauros vocat. *Nubigenas bimembres*: alludens ad fabulas, quas locis ſupra indicatis refert Hyginus. Heum. ex Perion. legit: *Quia me duo corpora portant*.

X L.

PAPAVER.

1. *Grande mihi caput eſt, intus ſunt membra minuta:*
2. *Pes unus ſolus; ſed pes longiſſimus unus.*
3. *Et me ſomnus amat, proprio nec dormio ſomno.*

NOTÆ, ET CASTIGATIONES.

1 *Grande mihi caput eſt*. Tria ſativi Papaveris genera Plinius deſcribit Lib. XIX. cap. IX. Hoc autem ænigma intelligi debet de primo, nempe albo, ac de ſecundo nempe nigro, cui adde nunc etiam rubrum, diverſiſque maculis inſperſum; nam tertium illud, quod vocat, erraticum caput grande non habet.

1 *Membra minuta*. Folia nimirum, quæ plurimæ quidem; ſed minores minoribus a circumferentia ad centrum ſunt gradatim diſpoſitæ, & miro ordine diſtributæ.

2 *Sed pes longiſſimus unus*. Plin. ubi ſupra. *Fuiſſe autem in honore apud Romanos ſemper, indicio eſt, Tarquinius Superbus, qui Legatis a filio miſſis, decutiendo Papavera in horto altiſſima, ſanguinarium illud reſponſum hoc facti ambage reddidit.*

Et me

3 *Et me ſomnus amat*. Hinc Ovidius ſomni domum deſcribens ait: Metam. Lib. XI. pag. 418. a verſ. 17.

Ante fores antri fecunda papavera florent,
Innumeraque herbæ, quarum de lacte ſoporem.
Nox legit, & ſpargit per opacas humida terras.

3 *Proprio nec dormio ſomno*. Theophr. Lib. IV. *de hiſt. Plant.* cap. X. Plantis quibuſdam ſomnum tribuere videtur ex eo, quod prope veſperum flores ſuos in Euphrate immergunt, quos oriente ſole in altum porrigunt: Quod Acoſta de *Mimeſa* confirmat, & P. Campanella, qui vegetabilibus ſenſum tribuit, negare non poteſt; ſed quam falſum hoc ſit, nemo nunc ignorare arbitror.

XLI.

MALVA.

1. *Anſeris eſſe pedes ſimiles mihi, nolo negare:*
2. *Nec duo ſunt tantum, ſed plures ordine cernis;*
3. *Et tamen hos ipſos omnes ego porto ſupinos.*

NOTÆ, ET CASTIGATIONES.

1 *Similes mihi*. Malvam, quæ in deliciis erat antiquis, Ciceroni gratiſſima, utpote qui *in Famil. Epiſt.* ad Gallum ait: *ego, qui me oſtreis, & murenis facile abſtineam, a Beta, & a Malva deceptus ſum*: Folia habere pedibus anſerinis ſimilia, perſpicuum eſt. De ea vide Plin. Lib. XX. cap. XII.

3 *Porto ſupinos*. Scilicet ſurſum expanſos. Virgil. Lib.IV. æn. verſ.205.

Multa Jovem manibus ſupplex oraſſe ſupinis.

Et Martialis Lib.XII. Epigr.XXXI. verſ.1.

Hoc nemus, hi fontes, hæc textilis umbra ſupini
Palmitis, hoc riguæ ductile flumen aquæ.

XLII.

BETA.

1. *Tota vocor Græce, ſed non ſum tota latine,*
2. *Ante tamen mediam cauponis ſcripta tabernam*.
3. *In terris naſcor, lympha lavor, ungor olivo*.

NOTÆ, ET CASTIGATIONES.

1 *Tota vocor Græce*. Sic omnino legendum eſt; nam qui legunt *Beta vocor Græcis*: rationem tollunt ænigmatis, quæ pendet a Τὸ *tota* Græce, & a Τὸ *non ſum tota latine*. *Beta* enim, Græce eſt ſecunda Alphabeti litera B, quæ ab ipſis Βῆτα appellatur, olim *vita* quia *v*, & *B* ſæpe apud antiquos confuſi characteres erant, ſicuti in Mss. præſertim Lactantianis ſæpe notavimus. Translatum ergo Græcum nomen a litera ad herbam, totum, & integrum eſt. Scilicet *Beta*.

1 *Sed non ſum tota latine*. Eadem littera latine dicitur *Be*, non ut quidem ſcioli pronunciant *Bi*; ideoque non tota; ſed quaſi dimidia, cui ad herbæ nomen explendum ultima deeſt Syllaba *ta*. Perion. exhibet

Beta vocor Grajis; ſed non ſum beta Latinis.

Scri-

2 *Scripta tabernam*. Al. *Pauperibus ſemper proponor*; *namque tabernis* &c. Quæ lectio minime heic congruere videtur, quum Poeta non ad pauperes, qui Beta veſcebantur, reſpexerit; ſed ad litteram *B.* quam Tabernarii ſuis diverſoriis proponebant, ut advenas invitarent; quaſi ibi omnia *Bona* eſſent per litteram *B.* ſignificata. Vide Authores ſcribentes, & explicantes veterum Romanorum notas. Huc reſpexiſſe videtur Plinius Junior in Epiſt.v. Lib II. ad Avitum ubi ait: *Eadem omnibus pono*; *ad cœnam enim, non ad notam invito: cunctiſque rebus ex æquo, quos menſa, & toro æquavi*. Contra morem illius, qui quum eum invitaſſet, vinum parvis lagunculis trium diverſorum generum propoſuerat, non ut poteſtas eſſet unicuique eligendi, quod mallet; ſed ne jus eſſet recuſandi, quod ſingulis propinari mandaſſet.

3 *Ungor olivo*. Al. *oliva*. Scilicet oleo olivæ, Horatius hæc eadem habet verba Lib.I. Sat.v. ℣.122. *Ungor olivo*.

XLIII.

CUCURBITA.

1. *Pendeo, dum naſcor, rurſus dum pendeo creſco.*
2. *Pendens commoveor ventis, & nutrior undis.*
3. *Pendula ſi non ſim, non ſum jam jamque futura.*

NOTÆ, ET CASTIGATIONES.

1 *Pendeo dum naſcor*. Caſtalio exempla Palladii, & Plinii adduxit, ut oſtenderet, cucurbitas

 naſci,

naſci, & creſcere pendentes; ſed generatim hoc non eſt verum; nam eodem Lib. XIX. cap. v. ab eo laudato duo in primis cucurbitarum genera, *Camerarium* unum, *Plebejum* alterum, Plinius diſtinguit; & de hocce ſecundo, quod humi repere, ait, ut oculis noſtris videmus; & quidem aliquando molis fere incredibilis, heic non loquitur Lactantius; ſed de alio, nempe *Camerario*, de quo Columella Lib. x. ℣. 380. ait:

Una neque eſt illis facies: nam ſi tibi cordi
Longior eſt, gracilis capitis, quæ vertice pendet,
E tenui collo ſemen lege: ſive globoſi
Corporis, atque utero, nimium quæ vaſta tumeſcit,
Ventre leges medio, ſobolem dabit illa capacem
Naryciæ picis, aut Actæi mellis Hymetti,
Aut habilem lymphis hamulam, Bacchove lagænam.
Tum pueros eadem fluvii innare docebit.

Idem tradit Plin. loco ſuperius indicato, & Palladius Lib. IV. Titul. IX. *Mart.* num. 16.

1 *Dum pendeo creſco.* Al. *dum pendeo naſcor.* Plin. ubi ſupra. *Libertate vero penſili conceſſa, jam viſa eſt* IX. *pedum longitudinis.*

2 *Pendens commoveor ventis.* Idem Plin. contrarium docere videtur: dicit enim ibidem: *In priore mire tenui pediculo libratur pondus immobile auræ:* ſed obſerva non idem eſſe, pondus immobile ad tenuem auræ flatum, ac ad ventorum impetum. Plinius de primo, Lactantius de ſecundo intelligendi ſunt.

2 *Et nutrior undis:* Colum. Lib. XI. de R. R. cap. III. num. 48. *cucumis*, & Cucurbita *quum copia eſt*

eſt aquæ, minorem curam deſiderant : nam plurimum juvantur humore.

3 *Pendula ſi non ſim* &c. Si terram namque attingant hujuſmodi cucurbitæ, facile contaminantur, atque putreſcunt.

3 *Futura*. Al. *ventura*.

XLIV.

CEPA.

1. *Mordeo mordentes, ultro non mordeo quenquam.*
2. *Sed ſunt mordentem multi mordere parati :*
3. *Nemo timet morſum, dentes quia non habeo ullos.*

NOTÆ, ET CASTIGATIONES.

1 *Mordeo mordentes*. Hocce verbum *mordeo* per translationem dicitur de omni re, quæ tactum, ut Vorticæ, ſeu guſtum, ut cepæ, pungunt acri quodam pruritu. Hinc Perſius Sat. IV. a ℣. 30.

. . . . . *Tunicatum cum ſale mordens*
Cepe &c.

1 *Ultro non mordeo quenquam*. Si cepas dente non tangas, guſtum non mordet : At ſi manu, eam aut cultro diſcindas, oculos, & nares offendit ita, ut lacrymas excutiat. Hinc natum dicunt proverbium : *Cepas odorari : Cepas comedere, ſua manu ſatas*. I. E *ſibi nocere*.

2 *Sed ſunt* &c. Pauperes, & Villici Cepas acres, & crudas in deliciis habent, unde Saturnus apud Lucianum *Epiſt. Saturn.* num. 28. illos in feſtis ſolitos

tos esse, nasturtium, porrum, aut cepam arrodere, dicit loco aprorum, & placentarum, quibus se ingurgitare divites quotidie consueverant.

XLV.

ROSA.

1. *Purpura sum terræ pulchro perfusa rubore,*
2. *Septa, ne violer, telis defendor acutis.*
3. *O felix, longo si possem vivere fato!*

NOTÆ, ET CASTIGATIONES.

1 *Purpura sum terræ*: Scite heic additur *terræ*: nam Purpura piscis genus est, de quo Plin. Lib. IX. cap. XXVI. ait *Purpuræ vivunt annis plurimum septenis. Latent sicut Murices circa canis ortum tricenis diebus. Congregantur verno tempore, mutuoque attritu lentorem cujusdam ceræ salivant.... sed Purpuræ florem illum tingendis expetitum vestibus, in mediis habent faucibus. Liquoris hic minimi est in candida vena, unde pretiosus ille bibitur nigrantis Rosæ colore sublucens.*

1 *Perfusa rubore*. Al. *perfusa colore*. Eligo lectionem vulgatam: quia Rosæ rubor ei contrarius non est, qui pudorem consequitur, ut ait Cicer. IV. *Tusc.* Virgilius de purpura loquens III. Georg. ℣. 307. inquit:

Vellera mutentur Tyrios incocta rubore.

At Colum. Lib. X. vers. 102. *& nimium Rosa plena pudoris*. Et vers. 260.

.....*Et*

. . . . . *Et igneo confuſa rubore*
Virgineas adoptata genas roſa præbet honores
Cælitibus, templiſque ſabæum miſcet odorem.

2 *Telis defendor acutis.* Scilicet ſpinis, Roſa enim ex ſpina verius, quam ex frutice naſcitur, ut ait Plin. Lib. XXI.

3 *Si poſſem vivere fato.* Al. *poſſim.* De celeri roſarum caſu, qui vitæ humanæ imaginem refert, vide Senec. in *Hyppol.* Act. II., & Auſon. in Idil. XIV. ubi ait:

Mirabor celerem fugitiva ætate rapinam,
Et dum naſcuntur conſenuiſſe roſas.

XLVI.

VIOLA.

1. *Magna quidem non ſum, ſed ineſt mihi maxima virtus:*
2. *Spiritus eſt magnus, quamvis ſim corpore parvo.*
3. *Nec mihi germen habet noxam, nec culpa puborem,*

NOTÆ, ET CASTIGATIONES.

1 *Sed ineſt mihi maxima virtus.* De violarum uſu in medicinalibus, vide Plin. Lib. XXI. cap. IV. & XIX. Al. pro lemmate habent: *Lilium.*

3 *Noxam, nec culpa ruborem.* Integrum hocce carmen Heuman. permutat, idque aſſuit ænigmati ſuperiori, cujus tertium heic reponit: ſed a ſenſu, immane quantum diſtat! Reſpicit enim heic Poeta ad

ad Roſæ fabulam, cujus ſpina quum pupugiſſet Veneris calcaneum, ſeu Adonidis ſanguine infecta fuiſſet, ex albo in rubrum colorem ſuum mutavit. Hinc Fulgent. *in Mytolog.* Lib.II. cap.IV. de Venere loquens ait: *Huic etiam roſas in tutelam adjiciunt: Roſæ enim & rubent, & pungunt, ut etiam libido. Ruhet verecundiæ opprobrio, pungit etiam peccati aculeo*: Unde ſatis apte Viola Lactantii ſeſe Roſæ præfert, quodammodo tacite dicens, ſe noxam non habere ſpinarum, & ſimul carere culpa, quæ ruborem inducat.

XLVII.

THUS.

1. *Dulcis odor nemoris, flamma, fumoque fatigor:*
2. *Et placet hoc ſuperis medios quod mittor in ignes,*
3. *Quum mihi peccandi meritum natura negavit.*

NOTÆ, ET CASTIGATIONES.

1 *Dulcis odor nemoris.* Orthographiæ periti diſcrepant quum hanc vocem ſcribunt: Alii enim per *Th*: alii per ſimplicem *T* exarandam contendunt. Nos lectionem Mss. Codd. ſequimur, quam adhibuerunt Varro, Priſcianus, Servius, & inter recentiores Cellarius. Dicitur autem *odor nemoris*, ſicuti Virgil. Lib.VI. æn. verſ.658. dixit: *odoratum nemus*. Plinio teſte Lib. XII. cap. XIII. ſola pars quæ-

quædam Arabiæ, quæ *Saba* appellatur, ad Solis ortum, id in Sylvis producit, & ex arboribus ſponte natis, guttatim, & ſumma religione colligunt Sabæi, & Minæi, qui primi Thuris commercium fecere.

1 *Flamma, fumoque fatigor.* Flamma enim concipit, quum in ignem mittitur, aut in fumum facile exhalat.

2 *Et placet hoc ſuperis.* In Sacrificiis omnium Gentium Thus adhibitum reperies, quod a Deo primum Moyſi imperatum eſt cap. II. Levit. verſ. 1. Ideoque inter dona, quæ puero Jeſu Magi obtulerunt, Thus etiam fuit, quo Deum eſſe puerum illum faſſi ſunt. Hinc Juvencus Presb. Lib. I. *de Evangel.* Hiſt. a verſ. 277. de eis loquens ait:

Dejecti prono texerunt corpore terram,
Submiſſique ſimul mox myſtica munera promunt
Aurum, thus, myrrham, regique, Deoque, hominique.

3 *Peccandi meritum*: Meritum vox eſt non in bonam partem ſolum uſurpari ſalita pro bene facto, cui merces debetur: ſed etiam in malam pro actione, quæ eſt pœna debita luenda Plaut. Aſinar. Act. II. Sc. IV. verſ. 85.

. . . . . *Nemo etiam me accuſavit*
Merito meo: neque me Athenis eſt alter hodie quiſquam,
Cui credi recte æque putent.

XLVIII.

MYRRHA.

1. *De lacrymis, & pro lacrymis mea. Cœpit origo.*
2. *Ex oculis fluxi: sed nunc ex arbore nascor:*
3. *Lætus honor frondis: tristis sed imago doloris.*

NOTÆ, ET CASTIGATIONES.

1 *De lacrymis, & pro lacrymis*: Sic cum vetustis Codicibus lego, non ut alii *per lacrymas*. Nam ad Smyrnæ, seu Mirrhæ, Cinyræ Assyriorum Regis, & Cenchreidis filiæ fabulam alludens Poeta, quam in Myrrhæ arborem mutatam, Ovidius Lib.x. *Metam. Fab.*IX., & Hygin. *Fab.* LVIII., *&* CLV. referunt, bene *de Lacrymis, & pro lacrymis*, dixit hocce ex aromatibus unum, suam habere originem; Venus enim miserata flentis puellæ, eam in speciem arboris, myrrha manantis, convertisse dicitur. Unde Ovidius, ubi supra, ait:

Quæ quamquam amisit veteres cum corpore sensus
Flet tamen: & tepidæ manant ex arbore guttæ.
Est honor lacrymis: stillataque corpore Myrrha
Nomen herile tenet &c.

2 *Sed nunc ex arbore nascor*: De qua Plin. Lib. XII.cap.XV. plura refert, inter quæ id falsum, quod e thuris arbore eam profluere nonnulli dixerunt; est enim specie distincta, ut bene idem author advertit.

3 *Lætus honor frondis*: Myrrham folia oleæ fere similia, etsi crispa, & aculeata habere, nonnulli dixerunt: aptius tamen alii eadem junipero, spinis horri-

horridæ magis accedere judicarunt ; ideoque pœnitentia, atque paſſionis ſymbolum hanc arborem conſtituerunt ; unde apte poeta noſter ſubdit :

3 *Triſtis ſed imago doloris.* Scilicet propter ſpinas, & amaritiem Hinc V. Beda ad illud *Cant Cantic.* 1. ℣. 13. *Faſciculus Myrrhæ dilectus meus mihi* &c. ait : *Myrrha eſt quantum eſt medendis infirmitatibus ſalubris, tantum guſtu amara.* Et S. Bernard. ibidem ſerm. XLIII. *Myrrha amara res, dura, & aſpera tribulationem ſignificat .... Erit quandoque nobis ingens cumulus gloriæ, qui modo eſt faſciculus Myrrhæ.*

XLIX.

EBUR.

1. *Dens ego ſum magnus, populis cognatus Eois.*
2. *Nunc ego per partes in corpora multa receſſi :*
3. *Nec remeant vires ; ſed formæ gratia manſit.*

NOTÆ, ET CASTIGATIONES.

1 *Dens ego ſum magnus* : Duos quidem Elephanto prominent exſerti dentes, quos aliqui cornua appellant teſte Æliano Lib. IV. cap. XXXI. de *Nat. Anim.* ab aliis vero *juba cornea* unuſquiſque dicitur : Herodotus in Thalia dentem appellat utrumque ; revera tamen & dens, & cornu dici poteſt, quum vices gerat utriuſque. Non credas tamen omne opus, quod ex ebore factum dicitur, ex hac ſolummodo Elephantis parte eſſe fabricatum, Plinio quippe teſte Lib. VIII. cap. III.

cap.III. *Ossa etiam in laminas secari coepere penuria. Etenim rara amplitudo jam dentium, praeterquam in India reperitur.* Hinc Virgil. Georg.III. vers.26. *solidum Elephantum* dixit.

1 *Populis cognatus Eois.* Scilicet: natus prope montem, qui *Eos* dicitur in Arabia, sumiturque pro Oriente. Unde Propertius Lib.II., III. vers.44. ait:

Sive illam Hesperiis, sive illam ostendet Eois.

Cognatus autem populis illuc degentibus, eo sensu dicitur, quo Ovidius I. Metam. ait: *Caelum telluri cognatum.* I. E. *simul una natum.* Non enim extra orientales terras Elephanti nascuntur.

2 *In corpora multa recessi.* Nam in laminas multas, facile ductiles secatur, quae deinde plurimos habent usus, formasque recipiunt.

3 *Formae gratia mansit.* Scilicet Candor. Unde Ovidius Lib.III. *ex Ponto Epist.*III. vers.108.

Sed neque mutatur nigra pice lacteus humor,
Nec quod erat candens fit terebinthus Ebur.

Quamquam verum etiam sit, quod hujusmodi laminae post longum temporis intervallum flavum primum, deinde sub rubicundum colorem contrahunt: & hinc Jerem. *Thren.*IV. vers.7. habetur de Nazaraeis *Rubicundiores ebore antiquo.*

L.

FOENUM.

1. *Herba fui quondam viridi de gramine terrae,*
2. *Sed chalybis duro mollis praecisa metallo*
3. *Mole premor propria, tecto conclusa sub alto.*

NO-

NOTÆ, ET CASTIGATIONES.

1 *Herba fui quondam*. Fœnum, Herba in pratis notiſſima, ſic dictum, quod ſine cura, vel facillima, ac minimi impendii, ut ait Plin. L.XVIII.Cap.XXVIII. fœnus non modicum præbeat, teſte Sypontino ex Feſto.

2 *Præciſa metallo*: Scilicet falce ex chalybe; quæ tamen non omnibus eadem ſemper fuit nationibus, nam Italis, Plinii tempore, brevis erat, ac vel inter vepres quoque tractabilis. Gallis vero *latifundia majoris compendii, quæ medias cædunt herbas, breviores que prætereunt*; illius falcis inſtar, quam Saturno, & Tempori fictores dant præ manibus in eorum ſimulachris, quales etiam nunc noſtri adhibent coloni, ligneis manubriis ita inſtructas, ut facile erecto corpore, ſi velint, eas pertractent. Columct. Lib.II.c.XVIII. *Ferramentum Foeniſecæ*: Al. *Foeniceſis*, appellavit.

3 *Mole premor propria*; Colum. ubi ſupra docet, quo modo in manipulos, & metas extrui debeat, eaſque in anguſtiſſimos vertices exacui, ne a pluvia fœnum offendatur, & ſubdit: *quæ etiam ſi non ſint, non alienum eſt prædictas metas facere, ut ſi quis humor herbis ineſt, exudet, atque exquoquatur in acerris.*

3 *Tecto concluſa ſub alto*. Idem Colum. ibidem: *Prudentes agricolæ quamvis jam illatum tecto, non ante componunt, quam per paucos dies temere congeſtum, in ſe concoqui, & deferveſcere patiantur.*

L I.

M O L A.

1. *Ambo ſumus lapides ; una ſumus ambo jacentes.*
2. *Quam piger eſt unus , tantum non eſt piger alter.*
3. *Hic manet immotus non deſinit ille moveri.*

NOTÆ, ET CASTIGATIONES.

1 *Una ſumus ambo jacentes* : De lapidibus molaribus , quibus frumentum , & legumina teruntur , hoc ænigma intelligendum eſt ; nam alii non una ſimul jacent , ſicuti in mola olearia , quæ apud nos eſt in uſu ; in hac enim jacenti lapidi lapidea item rota erecta imminet , & duplici motu circumvolvitur ab Axe pendula .

2 *Quam piger .... tantum* &c. Scilicet *quantum tantum* . Terentius *in Hecyra* Act.III. Sc.IV. verſ.3.

Non , Hercle , Parmeno verbis dici poteſt
Tantum , quam re ipſa navigare incomodum eſt .

3 *Hic manet immotus* : Ordine inverſo de iiſdem lapidibus nunc loquitur , ut Ovidius Triſt. Lib. II. verſ. 23.

Quocumque aſpicitur , nihil eſt niſi pontus, & aer,
Fluctibus hic tumidus , nubibus ille minax .

Nec ab hac dicendi ratione Cicero abhorruit ; nam *de Senect.* cap.XIX. *Senex* , ait : *Ergo meliore conditione , quam adoleſcens , quum id , quod ille ſperat , hic jam conſecutus eſt . Ille vult diu vivere , hic diu vixit* . Ut apte heic notaverat Heumannus .

LII.

FARINA.

1. *Inter ſaxa fui, quæ me contrita premebant:*
2. *Vix tamen effugi totis colliſa medullis:*
3. *Et nunc forma mihi minor eſt; ſed copia major.*

NOTÆ, ET CASTIGATIONES.

1 *Quæ me contrita premebant*: Non ſolum frumentum teritur ſub mola; ſed etiam ipſa farina, quæ in partes minores minoribus & ipſa frangitur, quo magis molares lapides ſenſim illam comprimunt; nam in figuram coni lapides illi ita formati ſunt, ut rota teres a centro in medium coni, ubi primum frangitur frumentum, illud pellat, eodemque impetu farinam ibi exiſtentem trudat ad margines; & tam illud, quam iſta ita compelluntur, ut virtutem centrifugam habere videantur dum continuo per planum inclinatum recta deſcendunt, ſucceſſivo pondere ſemper magis attrita, quouſque in pulverem minutiſſimum tenuata, e marginibus farina in receptaculum dimittitur; quod prolixius exponere mihi placuit, ut appareat quam exacte, ac vere dixerit, Lactantius: *quæ me contrita premebant; & tamen colliſa totis medullis vix effugi*.

3 *Forma mihi minor eſt, ſed copia major*. Hujuſce paradoxi ratio ea eſt, quia quum tam frumenti, quam farinæ acervus, æthere, & aere, vi elaſtica præditis, pervadatur, quo minores ſunt particulæ acervatim decidentes, eo minus illa vis comprimitur; ideoque quum farinæ corpuſcula mi-

nora, ac leviora sint frumenti granis, mirum non est, si spatium occupet majus ea farinæ quantitas, quæ antequam tereretur frumentum, a minori continebatur. Corpora enim hujusmodi & cogi in arctum possunt, si qui inest aer extrudatur, simulque augeri eo rursus ingrediente, vel sese per innatam elasticitatem expandente.

LIII.

VITIS.

1. *Nolo toro jungi, quamvis placet esse maritam.*
2. *Nolo virum thalamo, per me mea nata propago est.*
3. *Nolo sepulchra pati, scio me submergere terræ.*

NOTÆ, ET CASTIGATIONES.

1 *Quamvis placet esse maritam.* Idem ac maritatam. Vide ad Lib.I. cap.XI. Heic interea advertе quam bene Ciceronis præcepta adimpleverit Lactantius noster; Cicero enim Lib.III. de *Oratore*, ait: *sumpta re simili, verba ejus rei propria deinceps in rem aliam.... tranferuntur. Est hoc magnum ornamentum orationis, in quo obscuritas fugienda est. Etenim ex hoc genere fiunt ea, quæ dicuntur ænigmata.* Quum ergo nil frequentius Oratoribus, atque Poetis, quam dicere, vites arboribus esse nuptas, egregie ludit Poeta noster hoc, & sequenti carmine quum viti maritum tribuat; sed thalamis illam excludat; Arbore quippe vitis opus habet, ut pondus sui fœtus sustineat; non autem ut concipiat.

Per

2 *Per me mea nata propago eſt*. De vitium propaginibus vide Authores de re Ruſtica agentes, qui nuper curante Geſnero è typis Lipſianis prodiere cum notis variorum,

3 *Nolo ſepulchrum pati*. Sive vitis malleolus; ſive viviradix poni debeat, numquam tota ſepelitur. ſed pars ejus altera ſaltem cum duabus gemmis ſupra terram eminere debet. Vide Authores ſupra laudatos, & præcipue Colum. a Lib. III. ad V.

LIV.

HAMUS.

1. *Exiguum corpus, flexu mucronis aduncum,*
2. *Fallaces eſcas medio circumfero flactu.*
3. *Blandior, ut noceam: morti præmitto ſaginam.*

NOTÆ, ET CASTIGATIONES.

1 *Flexu mucronis aduncum*: Ovid. Lib. XIII. Metam. ℣. 934.

. . . . . *In aduncos egerat hamos*.

2 *Fallaces eſcas*. Idem è Ponto Lib. II. El. VII. verſ. 9.

Qui ſemel eſt læſus fallaci piſcis ab hamo.

3 *Morti præmitto ſaginam*. Inter opera, quæ perperam tributa fuerunt S. Cypriano illud etiam eſt *quod expoſitio in Symbolum* inſcribitur, ubi cap. XVII. hæc leguntur: *Sicuti . . . . . hamum eſca conſeptum, ſi piſcis rapiat, non ſolum eſcam cum hamo removet; ſed & ipſe de profundo, eſca aliis futurus, educitur;*

citur ; ita & is , qui habebat mortis imperium , rapuit quidem in mortem corpus Jesu , non sentiens in eo hamum divinitatis inclusum ; sed ubi devoravit , hæsit ipse continuo , & disruptis inferni claustris : velut de profundo tractus , traditur , ut esca ceteris fiat . Quæ mihi semper tam frigida visa sunt , ut quamvis nullum aliud suppeteret argumentum, propter ea dumtaxat spurium esse eloquentissimi Patris Opus illud , judicassem .

LV.

ACUS.

1. *Longa sed exilis tenui ductta metallo ,*
2. *Mollia duco levi comitantia vincula ferro ,*
3. *Et faciem læsis , & nexum reddo solutis .*

NOTÆ , ET CASTIGATIONES .

1 *Tenui ductta metallo* : Iterum heic metallum pro Calybe usurpat Poeta , sicut in ænigmate quinquagesimo ad Virgilii imitationem , qui æn.x. ℣.174. dixit :

. . . . . *Inexhaustis Chalybum generosa metallis .*

2 *Mollia duco . . . . comitantia vincula* : Scilicet fila , quibus vestes , & panni connectuntur, farciunturque .

3 *Et faciem læsis* : Scilicet cum fractum resarcit .

3 *Et nexum solutis*: Scilicet quum dissoluta iterum connectit , vel primum jungit .

LVI.CA-

LVI.

CALIGA.

1. *Major eram longe quondam dum vita manebat;*
2. *Sed nunc exanimis, lacerata, ligata, revulſa;*
3. *Dedita ſum terræ; tumulo ſed condita non ſum.*

NOTÆ, ET CASTIGATIONES.

1 *Dum vita manebat*. Hocce ænigma de Lino explicat Heum. ſed ſatis inepte, ut infra magis conſtabit. Idem teſtatur quod in primo Ms. Cod. Anglicano hoc ænigma inſcribitur *de Ficone*, quod erat Socci Monachalis genus ex du-Freſnio. Nos pro ejus lemmate ubique vidimus inſcriptum ſicuti exhibemus. Tò autem: *dum vita manebat major eram*: intelligi debet de pelle, ex qua caligæ fieri conſueverunt, quæ non ſolum pedem; ſed etiam tibiam veſtiebant militum, qui ab illis *Caligati* dicebantur apud Sveton. Lib.II. cap.xxv. Lib.III. cap.x. Lib.VIII. cap.VII.

2 *Lacerata*. Pelles, & coria animalium pluribus modis laceranda ſunt, ut ad uſum pararentur caligarum.

2 *Ligata*: Caligæ quippe loris ligabantur, ne excideren̄t, & impedimento eſſent in itinere, ac expeditionibus militaribus.

2 *Revulſa*. Scilicet quum e pedibus deponebantur caligæ, eodem ſenſu, quo Cicero dixit: *revellere vincula* in oratione pro Cecinna.

3 *Dedita ſum terræ* : Pars inferior caligarum ſolea dicebatur, quæ terram tangebat.

3 *Tumulo ſed condita non ſum*. Ludit ex antecedentibus, ut declaret, ſe de re mortua loqui, quæ tamen non eſt ſepulturæ demandata; ſed ſervata ad uſum.

LVII.

CLAVUS CALIGARIS.

1. *In caput ingredior, quia de pede pendeo ſolo:*
2. *Vertice tango ſolum: Capitis veſtigia ſigno:*
3. *Sed multi comites caſum patiuntur eundem.*

NOTÆ, ET CASTIGATIONES:

1 *In caput ingredior*: Clavus caligaris, corpus habebat admodum exile, & breve; caput autem prægrande, ita efformatum, ut in parte inferiori eſſet concavum, in ſuperiori vero eſſet convexum. Hinc totus clavus in caput ingredi potuiſſet ſuum, ſi parumper fuiſſet intortus; quod cum non intelleXiſſet Heum. correxit: *in capite*. Plin. de Ferro loquens Lib. XXXIV. cap. XIV. *Aliud brevitate ſola placet, claviſque caligariis* &c.

1 *De pede pendeo ſolo*. Totum corpus ejus pes eſt capiti adjunctum. Illo ergo ſoleam ingreſſo, ex eo ſolo caput pendet; totus enim ſoleæ infigitur.

2 *Vertice tango ſolum*. Pes caliga indutus terram tangit capitibus clavorum, quæ per pedes ſuos a ſoleis pendent, in quibus ſunt infixi.

Capi-

2 *Capitis veſtigia ſigno*. In arena E. g. vel in molli ſolo ſi quis caligatus incedebat, veſtigia non pedum ſolummodo, ſed etiam capitum clavorum relinquere neceſſe erat.

3 *Sed multi comites* &c. Plurimi ex his clavis, diverſimode diſpoſiti, ſoleam undique muniebant; quod ut expreſſius appareat heic delineare placuit, in ſubjectis figuris



Hujuſmodi clavi ex ferro, teſte Plinio Lib. ſupra laudato, & Lib. XXII. cap. XXII. efficiebantur: quamvis ex auro, argentove efformatos ab aliquibus fuiſſe, aſſerat Lærinus Torrentius ad Lib. II. Sveton. cap. XXV. & idem Plin. Lib. XXXIII. cap. III. tradat. *Agonem Tejum* Alexandri Magni Præfectum aureis clavis ſuffigere crepidas, ſolitum fuiſſe. Vide Salm. in *Catalect. Schild.* ad Sveton. Berneggerum in *diatrib. ad Svet. in Auguſto*; Hieronym. Magium Lib. III. Miſcell. cap. II. Briſſon. Lib. II. *Antiquit.* Select. Caſaub. & Du-Port. ad Theophr. Charact. cap. IV. Figura media clavos exhibet inveſo ordine poſitos, ut pes in glacie, ſive in præruptis montium jugis figi poſſet.

LVIII.

CAPILLUS.

1. *Findere me nulli poſſunt, præcidere multi.*
2. *Sed ſum verſicolor, albus quandoque futurus.*
3. *Malo manere niger: minus ultima fata verebor.*

NOTÆ, ET CASTIGATIONES.

1 *Findere me nulli poſſunt.* Geſnerus, & Heum. falſum hoc eſſe confidenter aſſerunt: nam ſi, qui comas adſcititas componunt, ſe præſtare poſſe gloriantur; nos fiſſum capillum natura quidem vidimus; arte nondum videre potuimus; quamvis negari non poſſit, eos radice creſcere, & ali, tubuloſque præferentes internam cavitatem habere, per quam interdum, quum tonderetur, ſanguinem fluxiſſe, memoriæ ſit traditum.

2 *Sed ſum verſicolor, albus* &c. Ob ſequentem vocalem ultima ſyllaba in *verſicolor* fit brevis, quam tamen Poeta noſter produxit; non autem ſine exemplis quæ ex Virgilio recitat Heum. E. g. Ec. III. ℣. 97.

Ipſe ubi tempus erit, *omnes infonte lavabo.*

& X. ℣. 69.

Omnia vincit amor, & nos cedamus amori.

2 *Albus quandoque futurus*: Scilicet prope ſenectam, quamvis nec ſoli, nec omnes ſenes albos habeant capillos; plerumque tamen ita contingit; Horat. Lib. III. *Carm* Ode XIV. extr.

Lenit albeſcens animos Capillus

Et Ovid. Triſt. IV. 8. 1.

Jam

Jam mea Cygnæas imitantur tempora plumas,
Inficit, & nigras alba ſenecta comas.

3 *Minus ultima fata verebor.* Vana juvenum ſpes, qui eo diutius vivere putant, quo magis a ſenectate diſtant; At experientia compertum eſt, quod proportione numerica ſervata, plures ſunt qui ante canos moriuntur, quam poſt eos intra determinati temporis intervallum.

LIX.

PILA.

1. *Non ſum cincta comis, & non ſum compta capillis:*
2. *Intus enim crines mihi ſunt, quos non videt ullus;*
3. *Meque manus mittunt, manibuſque remittor ad auras.*

NOTÆ, ET CASTIGATIONES.

1 *Compta capillis*: Al. *cincta capillis*: Sed bene dicitur & *compta frons capillis*, & *comptus capillus a como comis* Cicer. in Piſonem. *Erant illi compti capilli* & Virgil. X. æn. ℣. 832.

. . . . . *comptos de more capillos.*

2 *Intus enim mihi crines ſunt*: In frequentiſſimo uſu ſemper fuit Pilæ luſus apud Romanos non ſolum, ſed etiam apud Græcos. Galenus de eo librum ſcripſit. Valerius Max. Lib. VIII. cap. VIII. Scævolam optime Pila luſiſſe narrat: & Suetonius idem refert de Auguſto. Lib. II. cap. LIII. Non unum tamen erat Pilarum genus: ſed quadruplex; ſcilicet *Paganica*, ſeu *vulgaris*, quæ plumis ſtipata non facile reſilit, & luſum

luſum difficilem reddit; hinc Martialis de ea loquens ait Lib. XIV. 45.

Hæc, quæ difficilis turget paganica pluma,
Folle minus laxa eſt, & minus arcta pila.

Pila Trigonalis eſt omnium minima; ſed cæteris durior, pilis arcte compreſſis repleta. Dicitur *Trigonalis* a *Trigone*, qui locus erat in Thermis ad hunc luſum deſtinatus, forma triangulari ita fabricatus, ut pila manibus jactata, utrumque parietatem in angulo tangere poſſet, iſque dominus illius erat, qui eam ſiniſtra manu remittebat, unde idem Martialis ibidem 46. ait.

Si me mobilibus ſcis expulſare ſiniſtris
Sum tua: ſi neſcis, ruſtice redde pilam.

Tertium pilæ genus *Follis* dictus eſt; nam ex pelle vento inflata conficitur, antiquitus admodum levis, & a ſolis pueris uſitata: iccirco idem Poeta cecinit ibidem:

Ite procul juvenes, mitis mihi convenit ætas.
Folle decet pueros ludere, Folle Senes.

Quartum denique pilæ genus *Arpaſtum*, *Pilam*, *arpaſtam*, ſeu *Sphennidam* appellabant veteres, eratque vel ex panno, vel ex pelle contexta; lana, ut plurimum, tementove repleta, quæ non repercutitur; ſed in partes diviſi ludentes, ſuis ſemper tranſmittere tentant. Si vero eam in terram cadere contingat, jus eſt iis, qui ſunt in parte oppoſita illam colligere, & ſibi vindicare, ſi poſſunt, aliis contranitentibus: unde ibidem Martialis ait.

Hæc repit Antæi velox in pulvere Dracus.
Grandia qui vano colla labore facit.

His omnibus addidimus Itali grandioris follis uſum; anti-

antiquis incognitum, eum quæ non ſola manus; ſed bracchium ligno dentato armatum ad adverſarios mittit, atque remittit.

3 *Meque manus mittunt*: Scilicet vel nudis palmis, vel pugno, ſeu etiam reticulis. Triplex autem erat ludendi modus: Nimirum *raptim*: *datatim*: *& expulſim*; Quos recenſet Lucanus *in Paneg. ad Calpurn. Piſon a* ℣. 172.

Nec tibi mobilitas minor eſt ſi forte volantem,
Aut geminare pilam juvat, aut revocare cadentem,
Et non ſperato fugientem reddere geſtu.

Quæ exponuntur a Quercetano in *Dietico Polyſtror. ſect. II. cap.* XI. a Remireſio *ad Martial:* ab Echardo *Symbol. ad Petron.* &c.

3 *Remittor ad auras*; Senec. de Ben. L. II. cap. XXIII. *Sicut in luſu, eſt aliquid ſcite, ac diligenter pilam excipere: ſed non dicitur bonus luſor, niſi qui apte, & expedite remiſit, quam acceperat.* Vide Turnebum *Lib.* VII. *Adverſ. Cap.* IV. & Mercurial. Lib. II. *Gymnaſt. cap.* V.

LX.

SERRA.

1. *Dentibus innumeris ſum toto corpore plena:*
2. *Frondiferam ſobolem morſu depaſcor acuto:*
4. *Mando tamen fruſtra, quia reſpuo præmia dentis.*

NOTÆ, ET CASTIGATIONES.

1 *Dentibus innumeris.* Perdix, Dedali ex ſorore nepos

nepos, obſervata in medio dorſi quorundam piſcium ſpina, ad exemplum illius Serram, & uſus ejus invenit; quamobrem Dedalus, cui inſtituendum puerum ſoror tradiderat, præcipitem eum de turri dedit per invidiam, caſum fortuitum mentitus: Ovid. VIII. *Metam.* pag. 285. ℣. 7.

Ille etiam medio ſpinas in piſce notatas
Traxit in exemplum; ferroque incidit acuto
Perpetuos dentes, & ſerræ repperit uſum.

2 *Frondiferam ſobolem*: Sic habent Mss. Codd. noſtri; quamvis Heum. ediderit *Frondicomam*, quam vocem Latinis ignotam, atque inuſitatam fatetur. Lucret. Lib. I. ℣. 18.

Frondiferaſque domos avium &c.

3 *Reſpuo præmia dentis*. Quod apte per dupplicem metaphoram dictum eſt.

LXI.

PONS.

1. *Stat nemus in lymphis, ſtat in alto gurgite ſylva,*
2. *Et manet in mediis undis immobile robur:*
3. *Terra tamen mittit, quod terræ munera præſtat.*

NOTÆ, ET CASTIGATIONES.

1 *Stat nemus in lymphis*; Pons ligneus in amplo flumine ſine ingenti arborum quantitate, effici non poteſt; hinc Poeta, Sylvam in lymphis ſcite ponit.

2 *Immobile robur*: Scilicet ſpecies duriſſimæ quercus, quæ in aquis magis, magiſque ſolidatur. Ovid.

Ovid. *Epiſt. Didon. ad Aeneam* a ℣. 37.

Te lapis, & Montes, innataque rupibus altis
Robora, te ſævæ progenuere feræ

3 *Quod terræ munera præſtat*: Trabes, & ligna, quibus pontes junguntur, quorum uſu hominum commercia exercentur, & mutuo juvantur uſu, terram miniſtrare, nemo ignorat.

LXII.

SPONGIA.

1. *Ipſa gravis non ſum; ſed aquæ mihi pondus inhæret.*
2. *Viſcera tota tument, patulis diffuſa cavernis,*
3. *Intus lympha latet; ſed non ſe ſponte profundit.*

NOTÆ, ET CASTIGATIONES.

1 *Sed aquæ mihi pondus inhæret.* Vere, & philoſophice dictum; Levis enim de ſe Spongia eſt, a ſcopulis, mariniſve ſaxis avvulſa, & quidquid ponderis habere videtur ex humido, & aqua illi ineſt.

2 *Viſcera tota tument*: Sic Martialis Lib. XIV. 142.

Hæc tibi ſorte datur tergendis Spongia menſis
Utilis, expreſſo quum levis imbre tumet.

2 *Patulis diffuſa cavernis*: Aliqui diſtinguunt in ſpongiis mares, & fœminas, quas inter hoc diſcrimen intercedit; quod illi fiſtulis tenuioribus, iſtæ vero majoribus, & perpetuis aquas abſorbent.

3 *Sed non ſe ſponte profundit*; Lucret. Lib. IV. a ℣. 618.

Principio ſuccum ſentimus in ore, cibum quum
Man-

Mandendo exprimimus : ceu plenam Spongiam aquâ
Si quis forte manu premere cæpit, exiccareque cœpit.

LXIII.

TRIDENS.

1. *Tres mihi sunt dentes, unus quos continet ordo :*
2. *Unus præterea dens est, & solus in imo :*
3. *Meque tenet Numen, ventus timet, æquora curant.*

NOTÆ, ET CASTIGATIONES.

1 *Unus quos continet ordo.* Al. *quos unus* &c. Ordo heic est, *digestio*, & *collocatio*; quo sensu *ordines maxillarum* dixit Plin. Lib. XI. cap. XXXVII. & Virgil. Lib. V. Æn. ♆. 125.

. . . . . *longo consurgunt ordine remi.*

& Ovidius III. Metam. ♆. 34.

. . . . . *Triplici stant ordine dentes*

2 *Et solus in imo.* Hinc Pictores, Fictoresque notare debent, ad finem capuli, quo tridens munitur, cuspidem, instar aculei esse apponendam, quemadmodum videmus in baculis viatorum.

3 *Meque tenet Numen*: Scilicet Neptunus, quem Numen aquarum Ethnici crediderunt. Unde Virgilius I. Georg. ♆. 13.

. . . . . *Tuque o, cui prima frementem*
Fudit equum, magno Tellus percussa tridenti,
Neptune . . . . &c.

3 *Ventus timet*: Neptunus quum Æneæ classem odio Junonis jactatam ventis, & undis videret, se inscio,

ſcio, ſic ventis locutus a Virgilio inducitur Lib.I. Æn. a ℣. 141.

Maturate fugam, regique hæc dicite veſtro:
Non illi imperium pelagi, ſævumque tridentem:
Sed mihi ſorte datum. &c.

3 *Æquora curant*; Heum. arbitrio ſuo legit; *Equor adorat*. Ego vero a Codd. Mss. lectione non recedo, Immo neque mihi locus correctione egere videtur, quum latine dicatur; *curare præcepta, & mandata alicujus*; pro eo quod eſt, *adimplere*, *obtemperare* ut ſæpe Cicer. ad Atticum.

LXIV.

SAGITTA.

1. *Septa gravi ferro, levibus circundata pennis,*
2. *Aera per medium volucri contendo meatu,*
3. *Miſſaque diſcedens nullo mittente revertor.*

NOTÆ, ET CASTIGATIONES.

1 *Septa gravi ferro.* Tela brevia, ferro acuminato, & ſimul infra hamato, præfixa, ut penetrarent, & avelli facile non poſſent, ſagittæ dicebantur. Hinc Ovidius Lib.III. *Triſt. Eleg. X.* ℣.63.

Pars cadit hamatis miſere confixta ſagittis.

1 *Circundata pennis.* Ut facilius dirigerentur ad ſcopum, pennæ infigebantur in capulis ſagittarum: ideoque Silius Italic.Lib.VIII.℣.375. de Latinis quibuſdam loquens Populis ait:

Non illis ſolitum criſpare haſtilia campo,
Nec mos pennigeris pharetram impleviſſe ſagittis.

Aera

2 *Aera per medium volucris*: Ovid. ubi ſupra *Nam volucri ferro* &c.

3 *Nullo mittente revertor*. Si ſurſum jaculum mittatur, ſuo tandem pondere in mittentem revertitur.

LXV.

FLAGELLUM.

1. *De pecudis dorſo pecudes ego terreo cunctas;*
2. *Obſequio cogens moderari, lege doloris,*
3. *Nec volo contemni; ſed contra nolo nocere.*

NOTÆ, ET CASTIGATIONES.

1 *Pecudes ego terreo cunctas*. Flagello coriaceo, ſeu etiam virga, quæ in morem ſonet flagelli, pecudes, id eſt omne animal, quod ſub hominis imperio terræ pabulo nutritur, monendas eſſe, paſtores docent. De bobus Colum. Lib. II. cap. II. ubi num. 22. ait. *Plus enim queunt pecudes collo, & pectore conari, quam cornibus* num. 26. ſubdit. *Numquam ſtimulo laceſſet juvencum, quod retractantem, calcitroſumque eum reddit; nonnumquam tamen admoneat flagello*. Et Mart. Lib. XIV. 53.

Proficies nihil, hoc cedas licet uſque flagello,
Si tibi purpureo de grece currit æquus.

2 *Obſequio cogens*: Scilicet ad obſequendum Ovid. *de Arte* Lib. II. pag. 444. ℣. 13.

Flectitur obſequio curvatus ab arbore ramus

Et ℣. 15. *Obſe-*

Obſequio tranantur aquæ:

3 *Nolo nocere*: Hoc intercedere debet diſcrimen inter carnificem, & præceptorem, quod ille flagellat, ut noceat: nec curat de contemptu, hic vero flagellat, ut juvet, & verberando decorem ſervat.

LXVI.

LATERNA.

1. *Cornibus apta cavis, tereti perlucida gyro,*
2. *Lumen habens intus, diurni Syderis inſtar;*
3. *Noctibus in mediis faciem non perdo dierum*

NOTÆ, ET CASTIGATIONES.

1 *Cornibus apta cavis.* Duplex Laternæ genus apud antiquos fuiſſe Martialis oſtendit Lib. XIV. 60. Ubi de laterna ex veſica ait:

Cornea ſi non ſum, numquid ſum fuſcior? aut me
Veſicam, contra, qui venit, eſſe putat?

Heic tamen per Τὸ *cornibus cavis* potius intelligerem gyrum illum tabulorum piramidalium inverſorum, per quos fumum laterna emittit in parte ſuperiori, ex qua teres vertitur, & fit perlucida, ſeu ad libitum obſcura.

1 *Perlucida*, ſeu *pellucida*, id eſt, corpus, per quod lumen tranſire poteſt, non turbato in ipſo corpore, motulumitis rectilineo.

2 *Diurni Syderis inſtar*. Sic reſtituo ex noſtro Ms.

NOTÆ, ET CASTIGATIONES.

1 *Perſpicior penitus*: Id eſt: undique, & in omni quacumque parte ſum perſpicuus; ſpecular enim lapis eſt diaphanus, qui teſte Plinio Lib. XXXVI. cap. XXII., & Seneca Epiſt, XC. in laminas ſecatur, quibus ſi feneſtræ muniantur, lumen eas facile permeans, totum illuſtrat cubile. In templo Urbevetano, opere ſuo ſatis noto, adhuc perſeverat lapis iſte: ſcilicet in feneſtris illius.

2 *Intra mea membra meantes*: Quemadmodum ab omni puncto viſibili, radii procedunt ad fundum oculorum noſtrorum, ubi ſimilitudinem objecti producunt; ſic ex oculis noſtris radii procedunt, qui in ſpeculum præpoſitum impingunt, quum pertranſire nequeant, impediti a corpore opaco. In ſpeculari autem, & in omni corpore diaphano, quum nullum adſit impedimentum, liberi utrique tranſeunt, corpus illud meantes; quod quidem Lactantio felicius Neurtoniana philoſophia, aut potius Optica non explicaſſet.

3 *Nec me tranſit hyems*: Servius ad illud Virgilii Lib. I. ℣. 126.

Et qua vetlus Abas, & qua grandevus Aletes,
Vicit hyems:.

Ait: *Hyems duas res ſignificat, aut tempus, aut vim venti*. Lactantius heic in ſecunda acceptione loquitur; nam lapides ſpeculares hyems quodammodo tranſit in prima acceptione: non autem in ſecunda.

LXVIII.

SPECULUM.

1. *Nulla mihi certa est, nulla est peregrina figura:*
2. *Fulgor ineſt intus, radiante luce coruſcus,*
3. *Qui nihil oſtendit, niſi quidquid viderit ante.*

NOTÆ, ET CASTIGATIONES.

1 *Nulla mibi certa eſt* &c. Speculum cujuſcumque figuræ fieri poteſt, & cujuſcumque rei imago ab eo repræſentari debet; ideoque nec certa, nec peregrina unquam erit figura aliqua, quæ ſpeculo tribuatur, vel reddatur ab illo.

2 *Fulgor ineſt intus*: Radii Lucis totam ſpeculi ſuperficiem pervadunt, & ab opacitate corporis adjecti repercutitur, quum ultra medium aptum, per quod tranſeat, non detur; & tunc ſpeculum, radiante luce, fit *coruſcans*, aut *coruſcus*: utroque enim modo dici poteſt.

3 *Niſi quidquid viderit ante* Al. *niſi ſi quod viderit* &c. Speculum nullam præſeferre poteſt imaginem, ſi nullum eidem præponatur objectum viſibile.

LXIX.

CLEPSYDRA.

1. *Lex bona dicendi, lex ſum quoque bona tacendi.*
2. *Jus avidæ linguæ, finis ſine fine loquendi.*
3. *Ipſa fluens, dum verba fluunt, ut lingua quieſcat.*

NOTÆ

NOTÆ, ET CASTIGATIONES.

1 *Lex bona dicendi.* Oratoribus cauſas forenſes acturis præſcribebatur a judicibus tempus dicendi, quod Clepſydris metiebatur. Cicer. Lib.III. *de Orator. Non declamator aliquis ad Clepſydram latrare docuerat*, & Martialis lib.VI. Epig.XXXV. a ℣.1.

Septem Clepſydras magna tibi voce petenti
Arbiter invitus, Cæciliane, dedit.
At tu multa diu dicis, vitreiſque repentem
Ampullis potas ſemiſupinus aquam.
Ut tandem ſaties vocemque, ſitimque rogamus:
Jam de Clepſydra, Cæciliane, bibas.

Κλεψύδρα enim, teſte Suida, non ſolum ſignificat Inſtrumentum aſtrologicum, quo horas metimur; ſed locum Judicii, & vas in fundo perforatum, quod aqua plenum in foro ponebatur, ad quod Oratores cauſas ita perorabant, ut per ejus diminutionem, tempus ad dicendum legitimum deſignaretur. Apulejus *in Aſino* Lib.III. ſic de hac conſuetudine locutus eſt: *Rurſum Præconis amplo boatu citatus accuſator, quidam ſenior exurgit; & ad dicendum, ſpatium vaſculo quodam, in vicem colli graciliter fiſtulato, ac per hoc guttatim defluo, infuſa aqua, populum ſic adorat.* In quibuſdam codicibus pro lemmate hujus ænigmatis non *Clepſydra*, ſed *ratio* legitur: fortaſſe quia illud vocabulum magis genericum eſt. Nam ad Clepſydram excubias vigilare, nocte in quatuor partes diviſa, narrat Vegetius Lib.III. *de Re milit.* Athenæus de quodam Hydraulico inſtrumento, a Platone excogitato meminit, Clepſydræ ſimillimum. Cenſorinus Publium Cornelium Naſicam cenſorem apud Romanos authorem facit horologii aquarii, quod ex conſuetudine deinde

ſolarium dictum eſt; & a Vitruvio Lib. VIII. confirmatur. Nos autem nunc hocce inſtrumentum ad tempus metiendum, in modum horologii reductum, pluribus modis habemus, & umbra, & aqua horas metimur.

3 *Jus avidæ linguæ* &c. Hocce ſecundum carmen diverſimone in codicibus Mss., ac in libris editis legitur. Al. habent *vis avidæ* &c. Heum. ſic de more totum immutavit;

Tò linguæ frenos avidæ ſine fine loquendi

Ego vero ſervo lectionem noſtri Codicis, & ſic conſtruo. *Sum jus linguæ avidæ loquendi, item & ſum finis eidem.* Plinius enim Lib. I. Epiſtol. XXIII. ad Pompejum Falconium ait: *Ipſe quum Tribunus eſſem .... abſtinui cauſis agitandis: primum quod deforme arbitrabor ... Qui jubere poſſet tacere quemcumque, huic ſilentium Clepſydra indici.* Quod verſu ultimo confirmatur.

LXX.

PUTEUS.

1. *Merſa procul terris in cæſpite lympha profundo*
2. *Non niſi perfoſſis poſſum procedere rivis,*
3. *Labor & ad ſuperos alieno ducta labore.*

NOTÆ, ET CASTIGATIONES.

1 *Merſa procul terris.* De puteis fodiendis agunt Plin. in Lib. XXXI. cap. III. & Vitruvius Lib. VIII. cap. I.

ex

ex quo plura deſumpſiſſe videtur Palladius Lib. IX. *de Re Ruſt. tit.* VIII. & ſeq.; ubi & indicia ad aquam reperiendam, nulla de ſuperſtitione divinatoriæ virgæ mentione facta, reperies plurima, nec omnino vana.

2 *Poſſum procedere rivis.* Al. pro *rivis* habent *venis*; & Heum. pro utroque ſcripſit *terris*, ſed noſtra lectio cum re magis congruit; nam ut L. C. ait Palladius: *Certa ſignorum firmante notitia, puteum fodies, & aquæ caput requires: vel ſi plura ſunt, in unum colliges.* Quod certe fieri non poteſt, niſi perfoſſis hinc inde rivulis, per quos aqua in unum locum confluere queat.

3 *Labor* Heum. legit. *Et trahor*: contra fidem Mss.; & non apte ad ænigmatis genium. *Labor* enim heic verbum eſt, ſignificans leniter, & ſenſim decidere, quod aquæ ex profundo per ſitulam in altum evectæ proprium eſt; quoniam non diu permanent guttæ illi extrinſecus inhærentes, & aqua ipſa, in vaſe recepta, per rimulas facile dilabitur. In hoc antitheſis venuſtas ſita eſt, quod res illa, quæ imis terræ viſceribus eſt merſa, & per rivos decurrit, ad ſuperos alieno labore ducatur; & tamen delabi non ceſſet.

LXXI.

TUBUS.

1. *Truncus terra tegit, latitant in cæſpite lymphæ,*
2. *Alveus eſt modicus, qui ripas non habet ullas,*
3. *In ligno vehitur medio, quod ligna vehebat.*

NOTÆ, ET CASTIGATIONES.

1 *Truncum terra tegit*. In titulo legi debet: *canalis ligneus*: nam ad aquas ducendas, non ſolum ligneis, ſed fictilibus, & plumbeis fiſtulis utebantur antiqui. Pallad. ubi ſupra n. x *quum vero ducenda eſt aqua, ducitur aut formæ ſtructili, aut plumbeis fiſtulis, aut canalibus ligneis, aut fictilibus tubis*.

1 *Latitant in cæſpite Lymphæ*: *Cæſpes* vox eſt, quam aliqui ſcribunt ſine diphthongo,& proprie ſignificat vel terram herbidam in latus cæſam,vel fruticem truncatum, authore Feſto. Plin. Lib.II. cap.LXVIII. *conterminos pellimus, furtoque vicini cæſpitem noſtro ſolo effodimus*.

2 *Alveus eſt modicus*: Nam etſi pro aquæ quantitate canalis ampliandus ſit, ne ſi anguſtius fluat unda, diſrumpatur tubus: non tamen adeo amplus eſſe debet, ut ventus, impetum per eum faciens, latera, & juncturas diſſolvat, per quas rimis apertis aqua ſenſim dilabatur.

2 *Qui ripas non habet ullas*. Tubus concavus, & ſphæricam figuram habens, caret utique promontoriis; aut inæqualibus prominentiis, quas ripis aſſimilare poſſis.

3 *Quod ligna vehebat*. Aquam ligna vehere notiſſimum eſt, ſive per ligna intelligas navigia, ſive arbores, quos in alluvionibus flumina rapiunt. Frontinus Librum ſcripſit *de Aquæductibus Romanorum*, quem conſule ſi lubet.

LXXII.

FOLLIS.

1. *Non ego continuo morior dum ſpiritus exit:*
2. *Nam redit aſſidue, quamvis & ſæpe recedat.*
3. *Nunc mihi magna eſt animæ, nunc nulla facultas.*

NOTÆ, ET CASTIGATIONES.

1 *Dum ſpiritus exit*: Aliqui Codices in lemmate hujus ænigmatis habent: *uter*; ſed non apte, quum heic Poeta de folle loquatur, quo atthrahitur ventus, atque emittitur ad ignem excitandum: Virgil. Lib. Æn. IV. a ℣. 170.

Ac veluti lentis Cyclopes fulmina maſſis,
Quum properant, alii taurinis follibus auras
Accipiunt, reddunque....

& Æn. VIII. ℣. 449.

. . . . . Ventoſis follibus auras &c.

3 *Nunc magna eſt animæ, nunc nulla facultas*: Al. *magna anima eſt*. Al. *magna ineſt animæ*. Anima, & Spiritus promiſcue dicuntur, ut ſæpe notavimus in ſuperioribus. Hinc apte ludit Poeta voce ambigua utens, & metaphorica. Vide de *Opif. Dei* cap. x. ſeg. 3.

LXXIII.

LAPIS.

1. *Deucalionea crudeli ſoſpes in unda,*
2. *Affinis terræ; ſed longe durior illa.*
3. *Littera decedat, Volucris tunc nomen habebo.*

NO-

NOTÆ, ET CASTIGATIONES.

1 *Deucalionea* & In Mss. Codd., & in editis libris corruptus eſt verſus iſte, legunt enim :

Deucalion ego ſum crudelior hoſpes in unda.

Heum. vero correxit :

Deucalionis ego crudeli ſoſpes in unda.

Al. *Deutalioni*. Sed planior emendatio noſtra eſſe videtur ; nam ex *Deucaleonea*, facile Librarius in *Deucalion ego* dilapſus eſt. Sic Ovid. Lib. VII. *Metam Fabul.* VI. ℣. ultimo

Deucalioneas effudit in obrutus undas.

Senſumque hunc reddit : Soſpes ego in unda crudeli Deucalionea remanſi, quum non ſim una cum aliis lapidibus immutatus ; reſpiciens fabulam Deucalionis, & Pyrrhæ, quibus ſolummodo poſt diluvium ſuperſtitibus, per eos Genus humanum ita reparatum eſſe, Ethnici crediderunt, ut ex lapidibus poſt terga a Deucalione jactatis, maſculi, a Pyrrha fœminæ, conſurgerent. Vide Ovid. Lib. I. *Metam Fab.* VIII., & Hyginum *Fab.* LIII.

2 *Affinis terræ*. Nam in terra ſunt complura humorum genera, ut docet Seneca Lib. III. cap. XV, *Natur. Quæſt.*, ex quibus foſſilia, metalla, & lapides gignuntur. Democritus, & quidem moderni animam vegetativam eis tribuunt, quod merito alii negant ; & quidem experientia demonſtratum eſt, lapidem arte fieri poſſe ex mixtione marini Salis, calcis, aquæ, & Salis Tartari, ut videre poteris in lib. cui titulus : *Giornale de Letterati* 698. 1. *Novem.* 3. *edit. pag.* 404.

3 *Littera decedat*. Scilicet primo decedat loco ; tunc enim non *lapis*, ſed *Apis*, notiſſimum animal, quod inter volucres de inſectorum genere etiam a Var-

Varrone *de R. R.* Lib. III. cap. XVI. num. 7. recenſetur, ubi ait: *quæ quum cauſſa muſarum eſſe dicantur volucres*. Alludens ad Fabulam Comatæ Paſtoris, de qua Theocritus in *Commentariis* videndus eſt. *Si quando Apis in nominativo reperiatur*, inquit Valla Lib. I. *elegant. veluti eſt apud Ovidium. Metam.* XIII. ℣. 197.

Non Apis inde tulit collectos ſedula flores.

Hoc perquam rarum eſt: & Analogia, Apes potius, quam Apis defendit, quia a pede compoſitum, ac derivatum putatur. At Colum. Lib. IX. cap. III. num. 2. dixit: *Grandior Apis*, ac per tertiam, non per ſecundam vocalem paſſim ſcriptam hanc vocem videmus.

LXXIV.

CALX.

1. *Evaſi flammas, ignis tormenta refugi.*
2. *Ipſa medela meo pugnat contraria fato;*
3. *Ardeo de lymphis mediis, incendor ab undis.*

NOTÆ, ET CASTIGATIONES.

1 *Ignis tormenta refugi*. Auget Poeta per metaphoram, quod ante dixerat, alludens ad fornacem calcariam, in qua lapides in calcem, quam vivam vocant, medio igne convertuntur. Plinius Lib. XXXVI. cap. XXII. Pallad. Lib. I. cap. X. Vitruv. *in Epitom.* cap. IX. fere iiſdem verbis de calcis dignoſcendæ, ac fabricandæ modis loquuntur. Cato vero cap. XVI. *de R. R.* de ejus coctura ſic fatur, *Calcem partitario coquendam qui dant, ita dant: Perficit*

ficit & coquit, & ex fornace calcem eximit Calcarius, & ligna conficit ad fornacem. Dominus lapidem, ligna ad fornacem, quod opus fiet, præbet.

2 *Ipsa medela* &c. Ad ignem extinguendum aqua utimur, ut notum est; at aqua vivæ calci adeo contraria est, ut verissimum sit, quod subdit:

3 *Ardeo in lymphis mediis, incendor ab undis.* Plin. Lib. XXXIII. cap. v. *Calx aqua accenditur, & Thracius lapis; idemque oleo restinguitur* Et Lib. XXXVI. cap. XXIII. de ea loquens ait: *Mirum, aliquid postquam arserit, accendi.*

LXXV.

SILEX.

1. *Semper ineſt intus; ſed raro cernitur ignis;*
2. *Intus enim latitat; ſed ſolos prodit ad ictus;*
3. *Nec lignis, ut vivat, eget, nec, ut occidat undis*

NOTÆ, ET CASTIGATIONES.

1 *Semper ineſt intus* &c. Negasse hoc primum, deinde omisisse, videtur Lactantius Lib. *de Ira Dei* cap. X. seq. 18., & 19. sed heic ex veterum opinione loquitur, secundum quam Virgilius 1. Georg. ℣. 135. ait:

Et Silicis venis abstrusum excuderet ignem

Lib. vero Æn. VI. ℣. 6.

. . . . . *Quærit pars semina flammæ*
Abstrusa in venis Silicis &c.

Ubi Servius annotat: *Abstrudere enim est de industria*

ſtria celare. Unde Grammaticorum nonnulli, Silicem ex eo dictum volunt, quod veluti ſilentem intra ſe ignem habeat, qui attritu excitetur. Negant hoc phyſici recentiores, qui experimento ſe cognoviſſe tradunt, ſcintillas ex percuſſione ſilicis cum ſicile, vel ſilicis cum calybe, nec non quorundam corporum inſigni duritie præditorum, nihil aliud eſſe, quam portiones quaſdam minimas utriuſque mixti, quæ per violentiam colliſionem deciſæ, & a ſubtili materia circumdatæ, dum rapido volvuntur ſupra centrum motu, ignem concipiunt, eoque liquantur: quod earundem reliquiæ oſtendunt, ſi in alba papyro ſubjecta excipiantur, & ope miſchroſcopii examinentur.

1 *Sed raro cernitur ignis*. Nam niſi percuſſo ſilice ignis non emicat.

2 *Intus enim latitat*: Plinius Lib.xxxvi.cap.xix. *Molarem quidam vocant Pyritem, quoniam ſit plurimus ignis illi .... Pyritarum etiamnum aliqui genus unum faciunt, plurimum habent ignis, quos vivos appellamus, & ponderoſiſſimi ſunt*. Addens Lib.xxxvii. cap.xi. *quod Pyrites nigra attritu digitos adurit*.

3 *Nec lignis* &c. Quamquam excitatus ignis ex lapide excipi poſſit fungis aridis, vel exiccatis quibuſdam arborum foliis, non tamen, ut excitetur his indiget; ſicuti nec ſi lapis aqua mergatur, vim emittendi ignem deperdit. In editione Perionii diverſimode ſcriptum eſt hoc ænigma hiſce verſibus:

Virtus magna mihi duro mollitur ab igne,
Ceſſantique foco virtus tamen intus adhæret.
Semper ineſt in me; ſed raro cernitur ignis.

Item Heumannus ex Codice tertio Anglo aliud loco utriuſque recitat ſatis barbarum, hoc prorſus modo:

Ma-

Magna mihi duro mollitur ſemper ab igne,
Tantoſqae ſicco mihi virtus adhæret.
Semper ineſt in me; ſed raro cernitur ignis.

3 *Vt viuat, eget.* Egregie hoc exponit Lucretius Lib. VI. a ℣. 308.

Fit quoque, ut ipſius plagæ vis excitet ignem,
Frigida quum venti pepulit vis miſſa ſine igne;
Nimirum quia, quum vehementi percutit ictu,
Confluere ex ipſo poſſunt elementa vaporis:
Et ſimul ex illa, quæ tum res excipit ictum.
Vt, lapidem ferro quum cædimus, evolat ignis
Nec, quod frigida vis ſit ferri, hoc ſecius illæ
Semina concurrunt calidi fulgoris ad ictum.

LXXVI.

ROTÆ.

1. *Quatuor æquales currunt ex arte Sorores:*
2. *Sic quaſi certantes, quum ſit labor omnibus unus,*
3. *Et prope ſunt pariter, nec ſe contingere poſſunt.*

NOTÆ, ET CASTIGATIONES.

1 *Quatuor æquales*: Non magnitudine; ſed forma, figura, & ſimilitudine, quia pars quælibet rotarum æquæ diſtant a centro. Quare Ovidius I. Metam. a ℣. 29.

Principio terram, ne non æqualis ab omni
Parte foret, magni ſpeciem glomeravit in orbem.

2 *Ex arte ſorores*. Plinius de Palmarum ſpeciebus

bus loquens Lib. XIII. cap. IV. ait: *Minus ſpecioſæ; ſed ſapore Caryotarum ſorores, ob hoc Adelphides dictæ*. Unde heic ludit Poeta duplici metaphora: in Τὸ *æquales*, quaſi tales eſſent ætate: & in Τὸ *ſorores*, quaſi eſſent germanæ; ſed poſtea declarat, hoc non natura; ſed arte factum eſſe.

1 *Sic quaſi certantes*. Sicuti enim antiqui bigis, & quadrigis certabant; ſic quaſi certare inter ſe videntur ejuſdem currus rotæ, quum celeri agitantur motu.

1 *Et prope ſunt pariter* &c. Ita diſpoſitæ ſunt in curru *Rotæ*, ut æque invicem diſtent; nec tamen umquam ſe poſſint contingere, axibus impedientibus, in quibus ſunt infixæ.

LXXVII.

SCALÆ.

1. *Nos ſumus ad Cælum, quæ ſcandimus alta petentes.*
2. *Concordi fabrica, quas unus continet ordo,*
3. *Vt ſimul hærentes per nos comitentur ad auras.*

NOTÆ, ET CASTIGATIONES.

1 *Scandimus*: Heum. corrigere hanc vocem auſus, pro ea legit: *tendimus*; *non enim*, ſubdens, *Scalæ ſcandunt homines*. Mirum quod homo temrarius heic non dixerit, ut aſſolet, a Monacho hoc factum eſſe. Errat tamen, quum *ſcando* proprie ſignificet *aſcendo*, vel *in altum ingredior*; quod proprium eſt rerum, quæ

quæ mutuo auxilio in altum eriguntur, alteri innixæ Plautus in Pſeud. Act. 1. Scen. 1. ℣. 21.

Vt Opinor quærunt litteræ hæ ſibi liberos :
Alia aliam ſcandit.

2 *Vnus continet ordo*; Vide ſupra ad ænigma LXIII. ℣. 1.

3 *Comitamur* : Al. *Mittantur* . Heum. *ſcandatur* . Legerem *comitemur*, & ſenſus eſſet; ut nos per noſmet ipſas, altera ordine continuo alteri inhærens, comitemur ad auras : *comitor* enim eſt *pone ſequi*; Cicer. in Tuſcul. quæſt. v. ait : *cæteraque, quæ comitantur huic vitæ* .

LXXVIII.

SCOPA.

1. *Mundi magna parens, laqueo ſuſpenſa tenaci,*
2. *Iuncta ſolo plano, manibus compreſſa duabus,*
3. *Ducor ubique ſequens, & me quoque cuncta ſequuntur.*

NOTÆ, ET CASTIGATIONES.

1 *Mundi magna parens*: Pulcherrimum hoc ænigma, quo Scopa deſcribitur, rem infimam ad ſummum extollere videtur; quamvis revera nihil aliud efficiat, quam id, quod mundum, & nitidum facit, innuere, ea ratione, qua Cicero dixit : *Mundus, & elegans vir* Lib. II. *de Finib.*, & ibidem: *Nemo noſtrum iſtius generis aſotos jucunde putat vivere, mundos, ele-*

elegantes, *optimis cocis*, *Piſtoribus* &c. Felici auſu a *mundo mundas* : *munduus mundi* ſubſtantivum pro *munditia*, ſeu *munditie* uſurpando.

1 *Laqueo ſuſpenſa tenaci*. Sicuti Scopæ colligatæ ad verrendum ſunt accomodatæ ; ita, ſi diſſolutæ ſint, ad nihilum deſerviunt : unde Cicero, *Scopas diſſolutas* homines appellat nullius conſilii Lib. VII. *Epiſt.* VII. *ad Attic.*, & in *Oratore* ait : *Ita autem, quum diſſolvunt orationem, in qua nec res, nec verbum ullum eſt, niſi abjectum, non Clypeum, ſed ut in proverbio eſt* (*etſi humilius dictum eſt, tamen conſimile eſt*) *ſcopas, ut ita dicam, mihi videntur diſſolvere*.

2 *Manibus compreſſa duabus*. Al. *complexa*. Al *comprenſa*. Placet *compreſſa*, quæ eſt noſtri Cod. lectio ; nam comprimi hocce inſtrumentum debet, ut ſolo jungatur, & apte verrat. Lucanus Lib. VIII. *Pharſal.* poſt medium

. . . . . *Illa verenda*
Regibus irſta coma, & generoſa fronte decora
Cæſaries compreſſa manu eſt.

3 *Et me quoque cuncta ſequuntur* : Scilicet, quæ verrendo ſecum traxerat.

LXXIX.

TINTINNABULUM.

1. *Ære rigens curvo, patulum componor in orbem.*
2. *Mobilis eſt intus linguæ crepitantis imago.*
3. *Non reſonat poſitus, motus quoque ſæpe reſultat.*

NOTÆ, ET CASTIGATIONES.

1 *Patulum componor in orbem*. Al. *patulo ... orbe*. Scilicet in formam ſphæricam.

2 *Linguæ crepitantis imago*. Plinius *de Sepulchro Porſenæ*, Etruriæ Regis Lib. XXXVI. cap. XIII. ex Varrone refert, eum eſſe ſepultum ſub urbe Cluſio, in quo loco reliquit monumentum lapide quadrato ... & poſt pauca ſubdit: *ſupra id quadratum, pyramides ſtant quinque ... ita faſtigiatæ, ut in ſummo, orbis æneus, & petaſus unus omnibus ſit impoſitus, ex quo pendeant excepta catenis tintinnabula, quæ vento agitata, longe ſonitus referant, ut Dodonæ olim factum*. Sed non ſolum vento, verum etiam manu pulſabatur tintinnabulum, id movendo eo modo, quo nunc noſtra pulſantur æra Campana in plures uſus. Puta quum populus lavandi hora ad thermas vocabatur. Ex Mart. Lib. XIV. 161.

Redde pilam, ſonat æs Thermarum: ludere pergis?

Item ad indicendas, terminandaſque militum vigilias ex Tucydite Lib. IV. *Tintinnabulo enim prolato, priuſquam redderet ei, qui tradiderat, in vacuum locum ſcalarum admotio facta*. Ubi narrat, Baſidam cepiſſe Potidæam urbem, nactus illud tempus ad muros ſcandendos, quo circitor tintinnabulum, ab uno acceptum, ad alterum deferebat. Vide Plutarchum in Arato ſimile quid referentem, & Suidam in voce Ἀκωδώνιτον: Ubi ait: *Metaphora ducta eſt a circuitoribus, qui tintinnabulis explorant, an ii, quibus excubiæ mandatæ ſunt, vigilent*. Antiquiſſimum autem tintinnabuli uſum habemus Exodi XXVIII. a ℣. 33. *Deorſum vero ad pedes ejuſdem tunicæ per circuitum, quaſi mala punica, facies ex hya-*

hyacinto, & purpura, & cocco bis tincto, mixtis in medio tintinnabulis, ita ut tintinnabulum ſit aureum &c. ut audiatur ſonitus quando ingreditur, & egreditur Sanctuarium.

3 *Poſitus*. Id eſt, orbis ille æneus poſitus in quiete, non reſonat.

3 *Motus quoque ſæpe reſultat.* Al. pro *ſæpe* habent *longe*, & Caſtalio primum ediderat *longeque*. Nihil muto, ſenſus enim eſt planus, & ſignificat alterum ſonum, quem reddunt latera tintinnabuli, a quibus ſonus reſultat, etiam poſt percuſſionem: eo ſenſu, quo Plinius Lib. XI. ca. XIX. dixit: *Inimica apibus Echo eſt, reſultanti ſono, qui pavidas alterno pulſat ictu.*

LXXX.

CONDITUM.

1. *Tres olim fuimus, qui nomine jungimur uno.*
2. *Ex tribus eſt unus, tres & miſcentur in uno.*
3. *Quiſque bonus per ſe, melior: qui continet omnes.*

NOTÆ, ET CASTIGATIONES.

1 *Tres olim fuimus*: Triplicem conditorum ſpeciem recenſet Palladius Lib. III. Titul. XXXII. Februar. dicens: *Conditum vel Abſinthiatum*, vel *Roſatum*. vel *violatum* procedere *ſponte fertur ex vitibus* &c.

1 *Qui nomine jungimur uno*. Nomen *conditi* unicuique commune, ratio tamen ſpecifica diverſa eſt.

2 *Ex tribus eſt unus*: Al. *& tribus*. Sed male, nam heic partes recenſentur conditum componen-

tes, quæ tres erant ſecundum Morgagnum *Epiſtol. i. ad Pontederam* §. XIX. ad Pallad. ubi ait : *Latini quum dicebant conditum : Græci autem juniores, latinæ hujus vocis uſurpatione, κονδίτον, vinum intelligebant, aromatum, imprimiſque piperis, & præterea mellis additamento confectum.* Ideoque noſter ſubdit.

2 *Tres & miſcentur in uno.* Quamvis enim, ut eruitur ex Lampridio in Heliogabalo, plurima pro temporum varietate, & gulæ luxuria ſint addita ad conditorum delicias; talia tamen erant tempore Apicii *conditum Paradoxum*, & *conditum Melizomum*, de quibus loquitur Lib. I. cap. I. *de Art. Coquin.*, & temporibus Plinii ſenioris, qui Lib. XIV. cap. XVI. de vinis agens ait : *qualia nunc quoque ſunt, pipere, & melle addito, quæ alii condita, alii piperata appellant.* Cælius autem Aurelianus Lib. V. cap. I. *de Morb. Chron.* refert, *conditum* a pleriſque Latinis *mulſum* vocari, quod ex vino, & melle conſtabat.

3 *Quiſque bonus per ſe.* Scilicet quæquumque ex his, quæ conditum componebant, erant bona; id tamen melius, quod continebat in ſe omnia illa ſimul admiſta.

LXXXI.

ACETUM EX VINO.

1. *Sublatum nihil eſt, nihil eſt extrinſecus auctum;*
2. *Quod fuerat non eſt, cœpit, quod non erat, eſſe:*
3. *Nec tamen invenio quidquid prius eſſe reliqui.*

NO-

NOTÆ, ET CASTIGATIONES.

1 *Nihil eſt extrinſecus auctum*. Obſervandum in primis eſt, ſcite in lemmate eſſe poſitum: *Acetum ex vino*: nam e malis, e piris, e ſorbis, Item ſcilliticum, ficulneum, laſerpitiatum &c. acetum fieri poteſt, de quibus omnia non verificantur, quæ in hocce ænigmate dicuntur de aceto, quod fit ex vino. Mira ſane, ſed vera; nam humor idem, qui in uva primum reperitur, aqua eſt, quæ terram invehit acidis, & oleaginoſis particulis prægnantem; medio calore, hujuſmodi particulæ ſenſim ſeparantur invicem, & ſic, dum oleoſæ prævalent muſtum, aut vinum eſt; ſi autem acidæ ſuperaverint; liquor in acetum migrat, tum maxime quando dolium ubi ſervabatur, per ſupernum foramen locum præbet, aeri, a quo leviores olei particulæ attrahuntur, & deprimuntur terreæ, relictis in medio acidis, ex quibus anguillares vermiculi producuntur. Hos interficies ſi theriacam admiſceas, & ſolaribus radiis exponas mixtum illud in vaſe bene obturato per ſpatium xxx. fere dierum, quo expleto, ſi per colum liquorem purgaveris, cadavera illorum, etiam nudis oculis in fæce deprehendes.

2 *Quod fuerat*. Nempe, vinum *non eſt* amplius, nam mixtum illud ita per fermentationem, ſeu corruptionem alteratum eſt, ut jam nova ſit producta ſubſtantia, ideo bene ſubditur: *cæpit eſſe, quod non erat*.

3 *Nec tamen* &c. Hocce carmen ab Heum. tranſpoſitum eſt, & in ſecundum locum, neſcio quare, collocatum, niſi quod ipſe legendum putat:

Nec tamen invenio quod in isto vase reliqui. Quam lectionem non amplector, utpote quæ a Mss. Codd., aliena est. Pro *invenio*. Al. habent: *inveni*.

LXXXII.

MALUM.

1. *Nomen ovis Græcè. Contentio magna Dearum.*
2. *Fraus juvenis pulchri; multarum cura Sororum.*
3. *Excidium Trojæ, cui bella cruenta paravi.*

NOTÆ, ET CASTIGATIONES.

1 *Nomen ovis Grace*: Sic legendum censeo, quamvis. Al. legant: *Nomen habens Græcum*. Al. *Est mihi nomen Græcum*. Al. *Est mihi nomen ovis*. Frigida enim ista hæc sunt, nec bene cum cæteris conveniunt, quæ unico verbo *sum* subintellecto, reguntur. Alludit autem Poeta in hoc Emistichio ad nomen Græcum ovis, quod est μῆλα. M. Varro Lib. II. cap. I. *de R. R. num. 6. ait: in Lybia ad Hesperidas, unde aurea mala, id est; secundum antiquam consuetudinem, capras, & oves, quas Hercules ex Africa in Græciam exportavit. Ea enim sua voce Græci appellarunt* μῆλα. *Nec multo secus nostri ab eadem voce: sed ab alia litera vox earum non* Mee: *sed* bee *sonare videtur. Oves* beelare *vocem efferentes* &c. Cui adde Heupelium *de Græcis Dialectis Can.* CCXLVII., & CCCXL., ubi docet: Dores, & Acoles *n* in *a* mutare solitos fuisse, quod a La-

a Latinis ſit in *πῆμι, μᾶτηρ, μῆλον*, quas voces pronunciamus cum ea mutatione: *Fama, Mater, malum.*

1 *Contentio magna Dearum*: Scilicet Veneris, Junonis, & Minervæ, quarum fabulam heic indicatam, explicat Servius ad illud Virgilii æn. I. ℣. 30.

. . . . . *Manet alta mente repoſtum*
Judicium Paridis &c.

ad quem Jupiter, dicitur, illas miſiſſe, quum inter ſe litigarent de formæ præſtantia, quælibet ſibi debitum contendens, pomum aureum, in quo erat ſcriptum: *Hoc eſt Domum Deæ pulchrioris.* Vide de ea Hygin. *Fabul.* XCII. Lucian. in *Dialog.* XX. *Deor.* & in Dialogo *Charidem.* num. 17.

2 *Fraus juvenis pulchri*: Pro *pulchri* alii habent: *functi*. Alludit Poeta ad fabulam Hippomenis ſpecioſiſſimi adoleſcentis, qui jactatis tribus pomis aureis, a Venere acceptis, poſt terga Atalantæ currentis, eam curſu vicit, ſibique in ſponſam copulavit, de qua Ovid. Lib. X. *Metam. Fab.* XI., & Hygin. *Fab.* CLXXXV. Quamvis, ut bene notavit Heum., potuerit Poeta illam etiam fabulam præ oculos habere, qua Acontius pomo, quodam carmine inſcripto, Cydippen fefellit; de utraque enim ſic Ovidius in *Epiſt.* XXI. *Heroid.* ℣. 129. cecinit:

Cydippen pomum, pomum Schœneida cepit.
Tu nunc Hippomenes ſcilicet alter eris.

3 *Multarum cura ſororum*: Scilicet Heſperidum, quarum aurea poma in hortis Junonis ſerpens cuſtodiebat, ab Hercule interfectus. Vide Hygin. Lib. II. *Poetic. Aſtronom.* III. Palæph. cap. XIX. Natalem Comit. Mytholog. Lib. VII. cap. VII.

3 *Excidium Trojæ*: Quum Paris, paſtor, quem

Jupiter arbitrum fecerat in Dearum litera, de pomo pulchriori tribuendo, eum Veneri dedisset, atque ab ea Helenam, Menelai uxorem, recepisset in præmium, eversi Ilii causa fuit. Unde Virgil; Lib. x. æn. a ℣. 90.

. . . . *Quæ causa fuit consurgere in arma*
Europamque, Asiamque, & fœdera solvere furto.

Ubi vide Servium, & Ciceron. *Phil. II.*, ubi Helenam Trojanis causam belli, exitiique fuisse, narrat.

3 *Quum bella cruenta paravi*. Al. *dum bella cruenta peregi*. Heum. *cui bella cruenta paravi*. In quibusdam Codicibus additur huic ænigmati quartus iste versus:

Hoc volo, ne brevior mihi syllaba prima legatur;

Nam Prima syllaba in *malum* longa est, quum pomum significat; brevis vero si id innuit, quod bono est oppositum. *Sed spurius est, & ab aliquo Grammatico additus*, ut inquit Castalio; quamvis Heum. *eum insipidum sapere Monachum*, dixerit, utpote qui *cerebrum, & palatum habebat multo vino alteratum, & monachos præ dentibus se semper habere, putabat, & optabat delirus; nec mirum non enim sequitur, ut cui palatus sapit, ei etiam sapiat & cor*.

LXXXIII.

PERNA.

1. *Nobile duco genus magni de Gente Catonis.*
2. *Una mihi soror est, plures licet esse putentur.*
3. *De fumo facies, sapientia de mare data est.*

NO-

NOTÆ, ET CASTIGATIONES.

1 *De gente Catonis*. Familiæ *Porciæ* caput fuit M. Porcius Cato genere Tuſculanus, ut ait Aurel. Vict. *de Viris Illuſt.* cap. XLVII. n. 1., ubi Machan. notat: *Porciorum certe familia ruſtica, a Porcis pascendis dicta*; ſed ob egregia facinora, tam a majori, quam a minori Catone, aliiſque hujus familiæ illuſtribus viris decorata inter Conſulares, & Senatoria poſtmodum habita ſemper fuit.

1 *Plures licet eſſe putentur*. Pernæ nomen, quamquam tam prioribus, quam poſterioribus porcinis coxis, cum toto pede ſalitis, tribuatur; attamen apud noſtrates hactenus ſolis poſterioribus datur: priores enim vocantur *Spallette* a *Spalla*, latinis *Humerus*, ſeu *Scapula*: Ideoque bene dicitur heic: *una mihi ſoror eſt, plures licet eſſe putentur*.

1 *De fumo facies*. Horat. Lib. II. *Serm. Sat. II.* ℣. 112.

. . . *Præter olus fumoſa cum pede pernæ*.

2 *Sapientia de Mare data eſt*. Scilicet *ſapor* a ſalis conditura; notum eſt quippe ſal fieri ex aqua Marina, de ejus ſignificatione vero ſic donatus ad *Terent. Eunuc. Act. III. Sc. I.* ℣. 10.

Sal neutraliter, condimentum: maſculino, pro ſapientia ponitur.

LXXXIV.

MALLEUS.

1. *Non ego de toto mihi corpore vindico vires*;
2. *Sed capitis pugna nulli certare recuſo*.
3. *Grande mihi caput eſt, totum quoque pondus in illo*.

NO-

NOTÆ, ET CASTIGATIONES.

1 *Mihi corpore vindico.* Al. *mihi vindico corpore.*

1 *Nulli certare recuſo*: *ceriare* per dativum optime conſtruitur apud latinos. Horat. Epodo XI. ℣. 18,

Deſinet imparibus certare ſummotus pudor.

Item Lib. II. Sat. v. ℣. 18.

. . . . . *haud ita Trojæ*
Me geſſi certans ſemper melioribus.

Silius Italic. Lib. v. ℣. 16.

Nam forma certare Deis Thraſyſmene valeres.

Et Virgil. Eclog. v. ℣. 8.

Montibus in noſtris ſolus tibi certet Amyntas.

1. *Totum quoque pondus in illo.* Sic lego cum Pithœo. Al. exhibent: *totum quoque corpus in illo.* Quod nec verum eſt, nec cum primo congruit verſu.

LXXXV.

PISTILLUS.

1. *Contero cuncta ſimul virtutis robore magno:*
2. *Una mihi cervix; capitum ſed forma duorum:*
3. *Propedibus caput eſt, nam cætera corporis abſunt.*

NOTÆ, ET CASTIGATIONES.

1 *Virtutis robore magno.* Eodem ſenſu Virgilius Æn. Lib. II. ℣. 639.

. . . . *Solidæque ſuo ſtant robore vires;*

nam, ut res in mortario bene conterantur, ſumma diligentia, robur, & induſtria adhibenda ſunt. Hinc Columel. Lib. XII. cap. LV. n. 1., & 2. de ſemine ſinap-

ſinapis loquens ait: *In mortarium novum, aut bene emundatum conjicito, & piſtillis conterito... diligenterque conterito infuſo aceto.*

1 *Una mihi cervix*. Cervix proprie eſt illa pars colli poſterior, ex qua nervi deſcendunt; hoc vero per Synedochen cervix pro collo adhibetur, quod in piſtillo unum eſt; utrumque caput nectens, & manibus locum præbens per quem ſtringi, atque tractari poſſit.

1 *Pro pedibus caput eſt*. Subintellige *mihi*. *Nam cætera corporis abſunt*. In vulgatis legitur: *nam cætera corpora deſunt*.

LXXXVI.

STRIGILIS.

1. *Rubida, curva, capax, alienis humida guttis,*
2. *Luminibus falſis, auri mentita colorem,*
3. *Dedita ſudori, modico ſuccumbo labori.*

NOTÆ, ET CASTIGATIONES.

1 *Rubida*: *Rubidus, rubida, rubidum*, adjectivum eſt ſignificans rem aſperam, & ſcabram non ſolum, ſed etiam colore rufam, atrore offuſcatam, unde apud Plautum ſæpe *panis rubidi* mentio fit, quem Feſtus, *parum coctum* exponit; alii vero, *ſecundo coctum* explicant. Teren. in *Stich. Act. I. Sc. III.* ℣. 77. de ſtriligi ait:

Rubiginoſam ſtrigilem, ampullamque rubidam

Julius Pollux, *ſtrigulam* ſeu *Xyſtram* appellat Lib. VII. cap. XXXIII. Tit. VII.

Curva,

2 *Curva, capax.* Scilicet ad tergendum ſudorem in balneis adhibita. Perſius *Sat.* v. ℣. 126. inquit:

I puer, & ſtrigiles Criſpini ad balena defer.

Et Martialis Lib. XIV. 49.

Pergamus, has miſit curvo diſtringere ferro,

3 *Alienis humida guttis.* Vel ſudoris, vel aquæ, vel olei. Juvenalis *Satyr. III* ℣. 262.

. . . . . *vel ſonat unctis*
Strigilibus . . . .

Erant quippe ſtrigiles inſtrumenta ad radendas corporis ſordes, præcipue in balneis, & in frictionibus, quas de more ſibi fieri curabant antequam comederent priſci patres Romani ſimul, ac Græci. Apulejus eam deſcribens, quam ſibi fabricaverat Hippias Sophiſta, Socrati æqualis, ſic ait: *Honeſtam ſtrigileculam rectæ faſtigiatione clauſulæ, flexa tubulatione ligulæ, ut & ipſa in manu capulo moraretur, & ſudor ex ea rivulo laberetur.* Earundem imagines heic excudi curavimus, quamquam jam earum uſus ab aula receſſerit.



Lu-

1 *Luminibus falſis* &c. Ex ferro, & aurichalco plerumque hocce inſtrumentum erat; etſi fierent etiam ex hebore, argento, aurove; vel ſaltem ita inaurabantur, ut auri, argentive colorem mentirentur; & de his potiſſimum noſter loquitur.

3 *Dedita ſudori*: Scilicet, ut diximus, detergendo.

3 *Modico ſuccumbo labori*: Levi enim manu tractabatur.

LXXXVII.

BALNEUM.

1. *Per totas ædes innoxius introit ignis*.
2. *Eſt calor in medio magnus, quem nemo veretur*.
3. *Non eſt nuda domus; ſed nudus convenit hoſpes*.

NOTÆ, ET CASTIGATIONES.

1 *Innoxius introit ignis*. Nil antiquius Thermarum, Balnearumve uſu cum apud Græcos, tum apud latinos, quorum vocabulis promiſcue majores noſtri uſi ſunt; & quamquam Laurentius Valla *in Raudenſ.* in hoc differre dicat Thermas a Balneis, quod in illis caleſcimus, in iſtis etiam lavamur; non tamen in eo ratio diſcriminis poni debet, quum balneorum uſus tam calida, quam frigida fieri conſueverit aqua. Hinc bene Heum. heic annotat: *Hoc ænigma accuratiſſime perceperit ſecundum ſingulas partes, qui figuram accurate deſcriptam veteris balnei viderit, quam Fabricius exhibuit in ann.* ad ſexti Empirici *Hypot. Pyrr. Lib. I. cap.* XIV. *pag.* 30., cujus immaginem ſubjicimus.

In


F
E
D
C
B
A
G
H
I
L
N
N
N

In hac vero Thermarum orthographiæ parte minime putes, ea omnia te percipere poſſe, quæ in Thermis aderant; ſed ea dumtaxat, quæ ad expoſitionem hujuſce ænigmatis ſatis eſſe poſſunt; cætera enim ſi inſpicere cupis, antiquarios adire neceſſum erit; & præcipue tractatus Medicos *de Romanorum Thermis* Lib. VII. Andreæ Baccii, & Hieronymi Mecurialis Lib. I. *Art. Gymnaſt.*, a quibus uberrime ſingula explanantur, quæ diviſim ab aliis ſunt exhibita ſive litteris, ſive figuris. Nos in noſtræ orthographiæ tantum expoſitione verſamur, utpote qui in Thermarum Diocletianarum imis partibus, nec non in ſuperioribus quibuſdam, non diu ante ejuſdem prototypum diligenter inſpeximus, ac cum iis contulimus, qui de hiſce rebus vel tractarunt, vel nunc peritiores cenſentur.

1 *Per totas ædes*. Qui fieri poſſet, ut ignis innocuus ampliſſimas maximi ædificii partes poſſet pervadere, optime percipies, ſi in exhibito ſchemate loca animadvertas *M*, & ℵ obſignata: quæ etſi a Fabricio, aliiſque *Laconicum*, & *Hypocauſtum* eſſe dicantur; non apte tamen deſignata ſunt. Nam hypocauſtum in thermis locus erat, ſub cujus pavimento ignis ardebat, non vero is, qui igni ſubeſſet, ſicuti vocabulum indicat. Iccirco loca illa, quæ litt. ℵ. notantur, ædis infernæ partes ſunt, in quibus ligna ſervabantur ad uſus, & ita ſiccabantur, ut facile ignem conciperent, ac minimas fumi exhalattiones, quum accenderentur, emitterent. Ita locus ille, qui Laconicum dictus eſt litt. *M.* inſignitum, potius ipſius hypocauſti *Vaporarium* appellari debet, quod & claudi, & aperiri poterat, ut conclave totum magis, aut

aut minus calefieret. Itaque hypocauſtum non prorſus imam thermarum partem occupabat; ſed ita diſpoſitum erat, ut calefaciendis ſuperioribus, ac lateralibus concamerationibus deſervire poſſet: tantumque caloris immitteret, quantum uſus ſingulorum cubiculorum poſtularet. Quamobrem in ultimo ædium angulo, triplici fornice diſtincto, duæ ſunt ardentes fornaces, una altera major, quibus tertia additur igne prorſus vacua, ſinguliſque totidem ahena diverſis gradibus ſunt impoſita, ut intelligas in una concameratione, litt. *A.* demonſtrata, tria fuiſſe aquarum diverſarum receptacula, quorum ſuperius *G.* frigidam a lacu, vel flumine per tubulum deductam excipiebat, eamque per brevem fiſtulam in inferſus *H.* demittebat, in quo aqua præexiſtens jam calefacta, a frigida decidente temperabatur ita, ut tepida ſemper permaneret, & ſic in infimum *I* dilabens, ibidem nova, majorique flamma ferveret. Præterea unicuique illorum altera inferior fiſtula adjuncta erat, per quam hujuſmodi aquæ ad lavacra hac œconomia ſuppeditabatur, ut quantum ex uno emitteretur, tantum ex ſuperiori continenter influeret a meridiano ad veſperam, quo tempore elapſo, ignis extinguebatur, & uni frigidæ locus ubique patebat. Unde Martialis. Lib. XIV. 161.

Redde pilam, ſonat æs thermarum: ludere pergis?
Virgine vis ſola lotus abire domum.

Aqua enim Marciæ Virgo juncta eſt, quæ quantum illa auſtu; tantum iſta tactu refrigeraſſe inter omnes, traditum eſt Vide Vitr. *Lib.* v. *cap.* x.

1 *Eſt calor in medio magnus.* Quum medium legis, intellige ipſum hypocauſtum, ex quo, ut nota ſupe-

ſuperiori innuimus, calor ſingulis concamerationibus tribuebatur, ſervata ſemper proportione loci, ad uſum quemlibet determinati: ut ſenſus ſit, ex eo tamquam ex centro, in quo ſummus inerat fervor, cum cæteris gradatim communicari; eo ſcilicet modo, quo aliqua dicuntur *in medio poſita*, non quia æque diſtat ab extremis; ſed quia omnibus patent, qui illa deſiderant. E. G. Terent. *in Phorm. Prol.* V. 17. quum ait:

. . . . . *In medio omnibus*
Palmam eſſe poſitam.

Et Cicer. Lib. v. Tuſc. Quæſt. XCIV. *Faciles, communes, in medio ſitas.*

2 *Quem nemo veretur.* Heum. legit: *cui nemo ferendo.* Quæ tamen lectio ab eo marte ſuo excogitata eſt contra Mss. fidem, ac repugnante materia, de qua agitur.

1 *Non eſt nuda domus.* Hinc apparet, Lactantium non de privatis balneis, aut de Thermis vulgaribus loqui; ſed de magnificis, ornatiſque, quales ſua ætate plurimæ in Urbe, ac in tota Italia viſebantur. Ad illarum ornatum ſtatuæ in primis collocatæ fuerunt, inter quas refert Dio Lib. LIII. Agrippam poſuiſſe marmoream juvenis imaginem, a Liſippo ſumma arte ſculptam, ad exhibendum hominem ſeminudum ſe diſtringentem, cujus elegantia captus Tiberius Cæſar, quum eam in cubiculum ſuum, alia in locum illius ſubſtituta, intuliſſet, populi clamoribus illam repoſcentis, ſuo loco reſtituere, coactus fuit. Statuis interpoſitæ erant pictæ tabulæ, atque levigati marmoris incruſtati parietes, unde Plin. Lib. XXXV. cap. IV. ait: *In thermarum quoque calidiſſima parte marmoribus*

bus incluſerat Agrippa parvas tabellas, paullo ante, quam reficerentur, ſublatas. Et Lib. xxxvi. cap. xxv. *Agrippa certe*, inquit, *in thermis, quas Romæ fecit, figlinum opus encauſto pinxit: in reliquis albaria odornavit.* Antonini balnea, teſte Spartiano in Severo, & in Caracalla omnibus, tam arte, quam ornamentis, præferri meruerunt, habebantque, ut inquit Olympiodorus, *in uſum lavantium ſellas mille ſexcentas e polito marmore factas*, quarum duæ porphyreticæ, illæ perforatæ eſſe cenſentur, quæ in ædibus Lateranenſibus adhuc exiſtunt, & ad explorandos Pontifices factæ dicuntur in turpi fabula *Johannæ Papiſſæ*. Ne de aliis octingentis loquar, de quibus Senecæ Epiſt. lxxxviii., & Plinii Li. xxxiii. cap. xii. legi poſſunt. De Diocletianis, atque Conſtantinianis, quas Lactantius videre poterat, illud dixiſſe ſufficiat, quod in primis ne quicquam deſiderari poſſet, etiam Bibliotheca Ulpia ex foro, ac templo Traiani, ut Vopiſcus narrat in Probo, translata eſt: in ſecundis vero equi illi, ac homines marmorei miræ magnitudinis, & excellentiæ reperti ſunt, qui Sixto V. P. O. M. jubente in area contra Palatii Pontificii veſtibulum in monte Quirinali collocati etiamnum conſpiciuntur.

2 *Sed nudus* &c. Loturi, ut plurimum, omni veſte nudi in aquam ſe demittebant; quamvis exempla non deſint eorum, qui pudori conſulentes, velamine quodam pudendas ſaltem partes tegebant. Quamobrem quum hoc fœminas præſertim deceret, Martialis quandam illarum, nomine Chionem, quæ pudicitiæ ſtudioſa dicebatur, hiſce verſibus deridet, & pungit Lib. III. Epig. xxxvii.

Te-

Tecta tamen non hæc, quæ debes, parte lavaris,
Si pudor eſt, transfer ſubligar in faciem.

Adverſus hanc mulierum deteſtabilem conſuetudinem, primis etiam Eccleſiæ ſæculis vigentem, jura clamant, & priſci patres, pro quibus omnium inſtar ſit Clemens Alexandrinus Lib. III. *Pædag. cap* v., ubi hoc potiſſimum nomine fœminas reprehendit, quod quum balnea eſſent promiſcua; ipſæ nihilominus una cum veſtibus quaſi pudorem omnem exuerent. Non ita profecto apud antiquos, quando non ſolum communia non erant maribus, ac fœminis balnea, *ſed nec pater cum filio pubere, nec Socer cum genero lavabatur*, ut inquit Valerius Maxim. Lib. II. cap. x. *Scilicet ne ſe invicem nudos conſpicerent* ut S. Thom. exponit 2. 2. Q. CLIV. A. IX. Hic tamen laudabilis uſus jam Sæculo Eccleſiæ IV., in quo Lactantius diem obiit, longe receſſerat; nam D. Auguſtinus de ſe annum XVI. ætatis ſuæ agente teſtatur, in balneis a patre ſuo pubeſcentem viſum fuiſſe Lib. II. Confeſ. cap. III. Vitruvius quidem conjuncta eſſe *voluit Caldaria muliebria, virilibaque, ut in vaſaria ex hypocauſto communis eſſet uſus eorum utriſque*: contra Heſiodi ſaluberrimum monitum.

Corpus fœmineo non exhilare lavacro.

Unde eorundem ſeparationis author fuit Hadrianus Aug. ex Spartiano in vita illius, & ſub Antonino philoſopho vetitum omnino fuit, viros una cum mulieribus quibuſcumque in eodem balneo verſari, ut Julius Capitol. narrat agens de rebus geſtis illius.

3 *Convenit hoſpes.* Al. *huc venit hoſpes.* Scilicet, quicumque ad balneum venit, nudus accedit. Ideo enim in Thermis primus fere ab ingreſſu locus occurrebat,

rebat, in quo veſtes deponebantur, a Græcis *Apodyterium*, a Latinis *ſpogliatorium*, ſeu *ſpoliarium* aliquando appellatus; immo a nonnullis, cum *Tepidario*, *Aereo*, aut etiam *Frigidario*, modo conjunctus, modo confuſus, vel ob loci anguſtiam, vel ob obſcuram ædium diverſarum deſcriptionem. Cicero E. G. *Lib.* III. *Epiſt.* I. *ad Quintum Fratrem* hac de re ſcribens ait: *In balneariis Aſſa* (Al. *Hypocauſta*) *in alterum Apodyterii angulum promovi, propterea quod ita erant poſita, ut eorum Vaporarium, ex quo ignis erumpit, eſſet ſub tectum cubiculi.* (Al. *ſubjectum cubiculis.*) Ex quibus, ut vides, ratione loci, quæ in thermis ſeparata erant, in uno veluti conclave componuntur. Ab Apodyterio multiplex erat egreſſus ſive in porticus *E.*, ſive per quoſdam ſcalæ gradus poterat quis in Sphæriſterium *D.* ſe conferre, quod ſuperpoſitum fuiſſe docet Plinius junior Lib. V. Epiſt. v. 1. *atque plura genera exercitationis, pluresque circulos capere*, narrat; vel tandem, qui nec ſole in porticibus, nec exercitatione in Sphæriſterio ante lavationem uti vellet, recta poterat balneum quodcumque adire, ſive frigidum, ſive tepidum, ſive calidum; nam totidem aderant cubicula, ſive concamerationes cum totidem labris, quæ optatis a quibuſcumque aquis ſtatim poſſent repleri. Unde Plinius junior L. C. ait: *Inde Apodyterium balinei laxum, & hilare excipit cella frigidaria, in qua baptiſterium amplum, atque opacum. Si natare latius, aut tepidius velis, in area piſcina eſt, in proximo puteus, ex quo poſſis rurſus aſtringi, ſi pœniteat teporis.* Et Sidonius Apollinaris *in Burgo Pontii Leontii* canit:

Porticus ad gelidos patet hinc æſtiva triones,

Hinc

Hinc calor innocuus thermis hyemalibus exit;
Atque locum tempus mollit &c.

Verum enim vero ſi quis ſudare ſine prævio aliquo labore maluiſſet, præſto erat cubiculum, quod *Sudatorium*, *Aſſum*, *Cella Aſſa*, ſeu *Sudatoria Sudatio*, etiam & *Laconicum* dicebatur, quem locum ex Piſanis Balneis diligenter deſcripſit Robertellus, & nos litt. C. deſignavimus, in quo ſellæ lapideæ intra forulos aderant, quibus inſidentes ad libitum ſicco vapore ſudabant, ac ſtomachi eruditates exquoquere, maloſque humores tranſpirare conſueverunt: unde illud Juvenal. *Sat.* 1. ℣. 143.

. . . . . *Quum tu deponis amictus*
Turgidus, & crudum pavonem in balnea portas.

Scilicet nondum bene concoctum. Hinc plerique omnes exeuntes proximum intrabant caldarium, ſeque ferventibus, quantum quiſque ſuſtinere poterat, abluebantur aquis in labro receptis, ut in cubiculo *B.* littera *L.* demonſtratur. Nonnulli tamen, more Laconum, a quibus Laconici in thermis Romanis, prætermiſſa calidæ aquæ lavatione, uſus invectus eſt, frigida ſtatim a ſudore ablui, maluiſſe dicuntur; ut Martialis ait Lib. VI. Epig. XXII. a ℣. 16.

Ritus ſi placeat tibi Laconum,
Contentus. (Al. *concepto*) *potes avido vapore*
Cruda Virgine, Martiave mergi.

Quod Trimalcionem ſuum feciſſe, narrat Petronius Arbiter cap. XXVIII. inquiens: *Itaque intravimus balneum, & ſudore calefacti* (Al. madefacti) *momento temporis ad frigidam eximus.* In quem locum vide Burman., aliorumque commentaria, ſi de ejus intelligia ambigis. An valetudini mos iſte conferre poſſet,

judicent Medici; etenim etsi legerim temporibus Iliacis Diomedem, & Ulissem sudorem abluisse mare ingressos Hom. Iliad. x. ♆. 572.; & Agenorem in fluvio a sudore refrigeratum Iliad. xxi. ♆. 560., neque ignorem Sidonium Appollinarem in *Tetrast. super Piscinam* ceciniſſe:

Intrate algentes post balnea torrida fluctus,
Ut solidet calidam frigore lympha cutem.

Non iccirco morem laudo; immo nec facile credam, eos, qui sudore madebant, corpus suum nullo modo curasse; sed statim laxum jam, atque transpirans subita frigiditate sine noxa perstrinxisse; nam si de Laconibus loquamur, video eos vestes quasdam habuisse Balneares, quas *Endromides* appellabant, quibusque ab intempestivo aquæ, seu aeris rigore muniebantur. Indicat hoc Martialis de iisdem vestibus loquens *Lib.* iv. *Epig* xix. quum ait:

Hanc tibi Sequanicæ pinguem textricis alumnæ
Quæ Lacedæmonium barbara nomen habet &c.
Ne madidos intret penetrabile frigus in artus,
Neve gravis subita te premat iris aqua.

Item antequam gelido perfundentur balneo, ceromate corpus curabant ex eodem *Lib.* xi. *Epig.* xxviii.

Cur Lacædemonio luteum ceromate corpus
Prefundit gelida Virgine?

Iis enim fiebat, quod Plinius fieri posse ait mediis rosarum foliis *Lib.* xxi. *cap.* xix. inquiens: *Diopasmata inde fiunt ad sudores coërcendos, itaut in balneis inarescant corpora, dein frigida abluantur*: cui adde Celsum *Lib.* i. *cap.* ii. *seqq. de Re Med.* ubi de balneorum usu sane adhibendo prudentissime agit. Nec te Græcorum exempla jam adducta moveant; de illis enim

enim ita loquendum eſt, ſicuti de Athletis, qui vel eodem unguento ſe ante lotionem ungebant; vel ſaltem arena artus ſuos, ſudore, & ſanguine madefactos detergebant: Unde etiam fœminæ, viros imitatæ:

Endromidas Tyrias, & fœmineum ceroma,

ut ait Juvenalis *Sat.* VI. ℣. 146. ſibi adhibebant, quum ſe ad palum exercuiſſent; nam Lacedæmoniæ puellæ ungebantur, lavabunturque more virorum ad Eurotæ fluenta poſt quam in arena luſiſſent, ut Theocr. *in Epital. Helenæ* luculenter innuit Idyl. XVIII. ℣. 23.

Quæ ungimur more virorum ad Eurotæ ſlenta.

Immo etiamſi hæc omnia prætermiſiſſent, dummodo tam marinæ, quam fluviales aquæ multo fuiſſent ſole excalefactæ, idem jam præſtare poterant, quod faciſſent, ſi eſſent ignæ paratæ. Trimalcio autem ad frigidam exiens, ut idem Arbiter Petronius ſtatim ſubdit: *unguento perfuſus tergebatur, non linteis; ſed palliis ex molliſſima lana factis*, erantque ibidem tres jatraliptæ, medicæ artis periti, & proprie unguentarii, ſeu unctores, quibus ejus valetudo curæ erat; nec repugnat ſi *ad frigidam exire*, exponatur per hoc, quod eſt in tepidarium tranſire; nam, ut Sextus Empiricus Lib. I. cap. XIV. ſuperius laudato ait: *Balnei vicinum tepidarium eos quidem, qui ingrediuntur* calefacit; *at eos qui egrediuntur frigefacit, ſi in ipſo commorentur*. Unde mos laudabilis ſtatim apparet, quo ii, qui calidis utebantur balneis, vel ad ſudandum in thermas venerant, greſſu poſtmodum retrogrado, ex calidario in tepidarium redibant, ibidemque liberum illis erat, ut ſibi fieri curarent, quæ a-

Lucilio paucis comprehenduntur Lib. VII. *Satyr. Frag* VI.

Rador, subvellor, desquamor, pumicor, ornor, Expolior, pingor &c.

Et a Plauto *in Pœnulo* A. I. Sc. II. a ♆. 10.

Lavari, aut fricari, aut tergeri, aut ornari, Poliri, expoliri, pingi fingi, & una Binæ singulis, quæ datæ nobis ancillæ: Eæ nos lavando, eluendo operam dederunt, Aggerendaque aqua sunt viri defessi duo.

Unde ut superius vidimus apud aliquos *Tepidarii*, *Elæothesii*, sive *Unctorii*, & *Apodyterii* nomen uni, eidemque cubiculo tribuebatur, in quo ea omnia exerceri consueverunt; tanto quidem luxu, ut de Caligula primum ex Sueton. cap. XXXVI., postmodum de Nerone ex Plinio Lib. XIII. cap. III. traditum sit, eos calidis, frigidisque unguentis se interdum perfudisse; *Nec non aliquem ex privatis*, subdit Plin., *audivimus jussisse, spargi parietes balinearum unguento, atque C. Principem solia temperari: ac ne Principale videatur hoc bonum, & postea quendam ex servis Neronis.* Locum hunc in nostro schemate ultimum occupat angulum litt. *F.* designatum, ubi unguentorum diversorum vasa rite disposita apparent. In his omnibus elucidandis diutius immorari necesse fuit, quum distincte, aperteque de iisdem differentem, vidissem neminem, etsi plurimos legerim diversimode de Thermis, ac balneis pertractantes.

LXXXVIII.

TESSERA.

1. *Dedita ſum ſemper voto; non certa futuri.*
2. *Factor in ancipites varia vertigine caſus.*
3. *Nunc ego mœſta malis, nunc rebus læta ſecundis.*

NOTÆ, ET CASTIGATIONES.

1 In titulo adderem: *luſoria*; Nam teſſerarum multiplex genus erat apud antiquos; heic vero de illa ſermo eſt, qua etiam nos aliquando multis luſimus modis, & Itali omnes dicimus: *Dado*, o *Dato*. Fit ex oſſe, ut plurimum, figura cubica ſex habens quadrata, ac plana latera, in quorum ſingulis puncta ſunt, ab uno ſcilicet, qui minimus eſt numerus, ad ſextum uſque, qui ſummus habetur, a Talis, & calculis res omnino diverſa, ut Diſſ. XXVIII. cap. IV. § XVII. dicemus.

1 *Dedita ſum ſemper voto*. Al. *ſum ſemper ludo*. Al. *fato*. Al. *voto ſemper*. Exponit heic poeta deſiderium teſſaram jacientis, qui majorem numerum ſibi obvenire ſemper optant, ut cæteris præponatur, & in diſcrime victor evadat. Raro una tantum luditur, & tunc ſenarius numerus, ut diximus, major eſt. Frequentius duas adhibent., & tunc is prævalet, qui XII. primus in jactu complet. Aliquando tribus luſerunt veteres; pluribus etiam decertare vidimus noſtros æquales, nempe quinque, & ſeptem; unde XVIII. XXX. & XLII. puncta ſingulis ſenariis confici poterant. De ea Martialis Lib. XIV. XIII.

Non

Non ſim talorum par teſſera ; dum ſit
Major , quam talis alea ſæpe mihi .

Idemque de vulgari , qui duplici teſſera fieri conſueverat ludo in eadem tabula , in qua etiam diſcoloribus ludebatur calculis ibidem ait D. xv.

Hic mihi bis ſeno numeratur teſſera puncto .
Calculus hic gemino diſcolor hoſte perit .

1 *Non certa futuri* . Al. *futuro* . Sunt qui talos , teſſeraſve , aut calculos jacientes , tali induſtria eos in manu componant , ut faciant jactus , quos ipſi malunt , vel ſaltem proximos illis . Iccirco adhibetur turricula , ſeu fritillus , quo exceptæ teſſeræ , vel tali , aut calculi projiciuntur in tabulam , ne fraus contingat : Unde idem Martialis ibidem D. xiv. inquit :

Quærit compoſitos manus improba mittere talos .
Si per me mittit , nil niſi vota facit .

Quem verſum præ oculis habuiſſe poeta noſter videtur , & hinc apte ſubdit .

2 *Jactor in ancipites varia vertigine* &c. Nam ſive per turriculam deſcendant , ſive per fritillum in gyrum agitentur , ſemper in caſus ancipites varia jactantur vertigine , nec certum valet quiſque numerum ſibi exculpere ex illorum jactu . Grammaticos quoſdam vidiſſe memini , qui non ad teſſerarum ludum ; ſed dumtaxat ad talorum arbitrantur fritillum pertinere ; errant tamen , quum in carmine incerti ; ſed antiqui poetæ *de Ludo Claudi* inſcripto , legimus :

Nam quoties miſſurus erat reſonante fritillo ,
Vtraque ſubducto fugiebat teſſera fundo .

3 *Nunc ego mæſta malis , nunc* &c. Hanc Heum. lectionem illi prætulit , quæ habet : *Non ego mæſta*

ſta &c. *Non læta* &c. quoniam neminem ignorare putandum eſt; *modo de adverſa queri fortuna*. Non tamen apte iſta heic afferuntur, ſi de teſſera ipſa ſermo ſit, quæ nec dolore, nec gaudio tangi certum eſt. Apud Diomedem Grammaticum aliud ænigma legimus, quod ambiguum eſt de talis ne, an de teſſeris ſit intelligendum; ait enim: *In Campo, ubi mare concretum*; puta *ſolidum cryſtallum*: *humana caro*; I. E. *homo*: *ex oſſibus ludebat*; ſcilicet *Aleis ex oſſibus fabricatis*.

LXXXIX.

PECUNIA.

1. *Terra fui primo latebris abſcondita duris*:
2. *Nunc aliud pretium flammæ, nomenque dederunt*,
3. *Nec jam terra vocor, licet ex me terra paretur*.

NOTÆ, ET CASTIGATIONES.

1 *Terra fui primo* &c. Lucretius, Virgilius, aliique fere omnes Poetæ terram magnam dixere matrem, ac omniparentem, quoniam omnia, quæ viſui ſubjiciuntur ex ea fiunt, ac in eam tandem redeunt, ſi cœleſtia corpora excipias. Quamquam enim ipſa de ſe iners ſit, & actionis expers, materiem tamen miniſtrat omnibus miſtorum generationibus, præſertim vero metallorum, ex quibus pecunia facta eſt; nam, ut inquit Seneca, *Sæpe terra ſi facilis eſt, ipſa in tabem reſolvitur, & humeſcit. Idem evenit ſub terra, quod in nubibus, ut ſpiſ-*

ſpiſſetur , gravioremque , quam ut manere in ſua natura poſſit , gignat humorem .... Hinc eſt omnis metallorum humus (Al. genus) *ex quibus aurum , argentumque petit avaritia , & quæ in lapidem ex liquore vertuntur . Lib.III. Nat. Quæſt. cap.*XV. Hinc quum ſæpe eorum fodinæ exhauriantur , poſt longum temporis intervallum , niſi vena omnino extinguatur , iterum fœcundæ , ac fertiles reperiuntur .

1 *Latebris abſcondita duris* . Heum. *Latebris abſcondita terræ* . Quæ lectio frigida eſt , & Lactantio indigna . Quid enim frigidius dici poteſt , quam *terra abſcondita terræ latebris* ? Servavimus propterea ex Mss. *Duris*; nam omne metallum corpori adhæret ſatis duro , quod pyrites ſui generis appellatur , de quo Plinius loquens Lib. XXXVI. cap. XIX. ait . *In Cypro eum reperiri volunt , & in Metallis , quæ ſunt circa Acarnaniam , unum argenteo colore , alterum aureo* . Adde aliquando nigro , interdum ferrugineo , ac ſuboſcuro . Ubi vero de ratione agit auri inveniendi Lib. nimirum XXXIII. cap.IV. *In ſilice* , inquit , *facilius æſtimatur opera . Eſt namque terra ex quodam argilla genere , glareæ mixta* (candidam vocant) *prope inexpugnabilis . Cuneis eam ferreis aggrediuntur , & iiſdem malleis , nihilque durius putant , niſi quod inter omnia auri fames duriſſima eſt* .

2 *Pretium flammæ* &c. Si Epicuro credimus, igni metallorum inventio debemus , unde Lucret. Lib.v. verſ. 1241. ſeq.

Quod ſupereſt , æs , atque aurum , ferrumque repertum eſt ,
Et ſimul argenti pondus , plumbique poteſtas ,

Igni

Ignis ubi ingentes ſylvas ardore cremarat,
Montibus in magnis, ſeu Cæli fulmine miſſo:

Et Lib. eodem a verſ. 1151.

. . . . . *Quacumque ex cauſſa flammeus ardor*
Horribili ſonitu Sylvas exederat altas
Ab radicibus, & terram percoxerat igni,
Manabat venis ferventibus in loca terræ
Concava convenieus argenti rivus, & auri,
Aeris item, & plumbi.

Et paullo infra de pretio eorundem ſubdit:

Nam fuit in pretio magis æs, aurumque jacebat
Propter inutilitatem hebeti mucrone retuſum.
Nunc jacet æs, aurum in ſummum ſucceſſit honorem.
Sic ſolvenda ætas commutat tempora rerum;
Quod fuit in pretio, fit nullo denique honore.

2 *Nomenque dederunt.* Al. *dedere.* Pecuniæ quadruplex apud Romanos genus olim fuit ex totidem conſtans metallis, viliſſimum ex plumbo, vulgare ex Aere, nobile ex argento, regium ex auro. Quo tempore plumbei nummi uſus incœperit, omnino ignoratur; ætate tamen Martialis adhuc vigebat; ait enim Lib. x. Epig. LXXIV. ℣. 3.

Anteambulones, & togatulos inter
Centum merebor plubeos die toto;
Quum Scorpus una quindecim graves hora
Ferventis auri victor auferat ſaccos.

Aes primum a Servio Tullo ſignatum pecudis figura, unde pecunia dicta, Plinius docet Lib. XVIII. cap. III., & Lib. XXXIII. cap. III. Varro Lib. II. *de Re R.* cap. I. Atheneus vero Lib. XV, & Macrob. Lib. I. Satur. id Jano tribuunt. Eutropius Lib. I.

Sa-

Saturno refert. Argentum ſignari Romæ cœpiſſe Pictore Fabio, & Q. Oculejo Coſſ. tradidit Plin. ante Punicum bellum anno v. ſive M. Æmilio Paullo, & Fulvio Nobiliore Coſſ. xv. annis poſterius, ut vult Eutropius Lib. II. Aurum vero annis fere LXII. poſt argentum dicitur ſignatum Claudio Nerone, & M. Livio Salinatore Coſſ., & hoc quidem variis nominibus appellatum ab ipſis Imperatorum nominibus V. G. *Antonianum*, *Valerianum* &c. ſicuti de Philippeis *diximus* Lib. I. *Divin. Inſt.* cap. VI. ſeg. 10., ac de Aureis ibidem ſeg. 11., nomina, & effigies, ut plurimum, Imperatorum, regumque illorum præferentibus, a quibus pretium, & vim recipiebant. Unde Chriſtus Dominus Matth. XXII. ℣. 20. inquit: *Oſtendite mihi Numiſma Cenſus* &c. *Cujus eſt imago hæc, & ſuperſcriptio?*

3 *Licet ex me terra paretur*. Scilicet quum Prædia per pecuniam emimus, eamque conductis mercede operibus excolimus: *Pecuniæ*, enim, ut vetus proverbium habet, *obediunt omnia*.

X C.

MULIER GEMINOS PARIENS.

1. *Plus ego ſuſtinui, quam corpus debuit unum.*
2. *Tres animas habui, quas omnes intus habebam.*
3. *Diſceſſere duæ; ſed tertia pæne ſecuta eſt.*

NOTÆ, ET CASTIGATIONES.

1 *Plus ego ſuſtinui* &c. Quamquam nec ſupra, nec

nec præter naturæ vires ſit, uno partu geminam dare prolem, ut non raro accidiſſe, compertum eſt; non tamen ſic fieri conſuevit, & merito interpretes ſacrarum literarum Rabbinos, eoſque ſecutum Johannem Calvinum, reprehendunt, dicentes, Evam gemellos edidiſſe Kainum, & Abelem, quum nec Scripturæ verba hanc expoſitionem patiantur, nec hominis generatio ab opifice Deo tali ordine ſtatuta ſit, quod ex pleriſque, ac, ut in pluribus accidit, eventibus, congruenter dicitur.

2 *Tres animas habui*: Scilicet, ut ſtatim ſeſe explicat Poeta; quas *intus habebam*; ne crederes, triplicem animam unius corporis formam, & conſtitutivum fuiſſe ejuſdem viventis. Quamquam enim dici poſſit, quod proles imperfecta, ſeu Embryon informe aliquando vivat vita genitricis; efformatis tamen præcipuis ſuis corporis partibus, propria anima donari, citra dubium eſt, ut ex abortivis fœtibus aliquandiu poſt matris obitum viventibus, clariſſime demonſtratur.

3 *Diſceſſere duæ*: Scilicet quum geminos pepererat.

3 *Sed tertia pæne ſecuta eſt*. Al. *ſed tertia bella peregit*. Videlicet ipſa genetricis anima, quæ in difficili partu facile a proprio corpore diſcedere cogitur. Tò *pæne* heic per *æ* ſcribendum eſt, utpote adverbium, ne ſi per *e*, ſicuti plerumque facimus, ſcribatur, prima ſyllaba brevis ſit. Utroque autem modo, ubi talis abſit neceſſitas, ſcribi poſſe, antiquorum exempla, oſtendunt, præſertim in vetuſtioribus hujuſce operis Mss. Codicibus.

XCI.

X C I.

MILES PODAGRICUS.

1. *Bellipotens olim, ſævis metuendus in armis,*
2. *Quinque pedes habui; quod quamquam nemo negavit;*
3. *Nunc mihi vix duo ſunt. Inopem me copia fecit.*

NOTÆ, ET CASTIGATIONES.

Variat in Mss. titulus: Al. enim *Miles*, ſeu *Eques* habent ſolummodo. Al. addunt *podagricus*, quæ additio neceſſaria videtur, ne ænigmatis ratio deficiat.

1 *Bellipotens*: Vox iſta adjective uſurpata pro eo, qui in militia valde pollet, habetur apud Ciceron. Lib. II. *de Divin.*, ex Ennio, qui ait;

. . . . . *Stolidum genus Acacidarum,*
Bellipotentes ſunt magi, quam ſapientipotentes.

Item Palladem Statius Lib. II. *Theb.* Divinam Bellipotentem dixit. At Virgil. XI. Æn., & Flaccus I. Argon. ſubſtantive eandem vocem adhibent, & per antonomaſiam Martem plerumque ſic appellant poetæ.

2 *Quinque pedes habui*. Al. *Sex pedes habui*. Omnino male; nam ſecunda in pedes longa eſt tam ſi infimum hominis membrum ſignificet, quam ſi peditem. De primo ſic Lucr. Lib. II. ♆. 528.

Inde pedes, & crura mori &c.

De ſecundo Virgil. VI. æn. ♆. 880.

. . . . . *Seu pedes iret in hoſtem*

Et Ovid. XIV. Metam. ♆ 364.

. . . . . *Sylva pedes errat in alta.*

Be-

Bene ergo conjecit Heum., qui ait: *Hic locus quam multis fuerit obſcurus, vel inde apparet, quod in pluribus Codicibus* Tò QUINQUE *in ſex fuit corruptum. Scilicet putabant, equitem innui, qui connumeratis equi ſui pedibus, ſex pedes habet. Etiam in Maſenii* Speculo Imag. verit. occultæ cap. IV. §. 4. *hoc extat de claudo, quondam equite: ænigma:*

Sæpe pedes ſenos numeravi; vix modo binos &c. Scite deinde hoc explicat de milite podagrico, cujus ſtatura erat quinque pedibus alta; ſed perperam ſubdit: *Apud Romanos juſta militum ſtatura erat quinque pedum, & pro miraculo erat, quum Nero Imp. ex Italicis ſenum pedum tyronibus legionem conſcriberet, eamque Magni Alexandri phalangem appellaret*; Nam Vegetius Lib. I. cap. V. non fideliter ab eo laudatus ſic habet: *Proceritatem tyronum, a Conſule Mario ſcio ſemper exactam ita, ut ſenos pedes, vel certe quinos, & denas*, non ſeptem, *uncias habere inter Alares equites, vel in primis legionum cohortibus probarentur* &c. Svetonius autem *in Auguſto* brevem ſtaturam dicit, quæ eſſet pedum quinque, & Dodrantis. Adde, in quibuſdam Vegetii Mss. Codicibus legi: non *ſeptem uncias*; ſed *ſeptem turmas*. Non ergo miles iſte ex iis erat, qui *procera*, aut *prolixa*, ſeu eminenti *ſtatura* præditi dicebantur, quum nec juſtam, nec commodam haberet militarem corporis formam. *Incoma* autem, ſeu *Incomma* palus apud Romanos appellabatur, in terra defixus, inciſuris quibuſdam ſectus, ad ſingulos pedes, & uncias indicandas; cui milites in delectu admovebantur, ut conſtare poſſet, eſſent ne ad militiam idonæi. Vide Iſid. hac voce. Salmas

Hiſt. Aug., & Pitiſc. V. *milites*. *De Aquino Lex Mil.*

2 *Quod quamquam*. Al. *quod nunquam*. Al. *quos unquam nemo* &c. Quum de alicujus aptitudine ad rem aliquam rite peragendam ſermo eſt, proverbio utimur: *Incoma ad militiam probat* : ea enim ſemel adhibita, nemini licebat, ſic probato ſuccenſere.

3 *Inopem me copia fecit*. Ovidii Emiſtichium Lib. III. *Metam.* pag. 113. ℣. 9. Ubi notat Scholiaſtes, *Inopem* denotare illum, cui non eſt, quod cupit. Heic propterea bene quadrat militi, qui podagra correptus, curvus, & attractus, quo procerior aliquando fuerat, eo magis partim morbo, partim ſuæ molis pondere ita deprimebatur, ut vix duobus pedibus altior ſe a terra poſſet erigere.

X C I I.

LUSCUS ALLIUM VENDENS.

1. *Cernere jam fas eſt, quod vix tibi credere fas eſt.*
2. *Unus ineſt oculus; capitum ſed millia multa.*
3. *Qui, quod habet vendit, quod non habet inde parabit.*

NOTÆ, ET CASTIGATIONES.

Etiam in hujuſce ænigmatis titulo Mss. Codd. variantes exhibent lectiones. Aliqui enim legunt abſolute: *Allium*, vel *Alium*. Al. *Luſcus cum aliis*. Al. *L. Allium tenens*. Al. *Luſcus, & Alio*. Al. *Luctum Alium*. Sequimur Caſtſalionis noſtri lectionem; quamquam ipſe Horatium laudans, non *Allium*;

lium; ſed *Alium* ſcribat. Ego vero cum cæteris omnibus *Allium* lego: Virgil. II. Ecl. ℣. 11.

Allia, ſerpillumque &c. Et Perſ. Sat. v. ℣. 190.

. . . . . *Si non*
Prædictum ter mane caput guſtaveris allj.

Frigidum fortaſſe alicui videbitur hoc ænigma, quum nihil plauſibile habeat, nec acuminis ſpeciem aliquam præſeferat; ſed animadvertendum eſt non raro in hujuſmodi luſibus id contingere, quoniam ignoramus, qua occaſione, quove motivo producantur; ſæpe enim ex facti circumſtantia facetiarum lumen acceditur, aut removetur, ut in carminibus Valerii Martialis, alias acutiſſimis, interdum occurrit.

1 *Cernere jam* &c. Al. *cerne, licet, propius*. Forte melius; quamquam eodem ſenſu. Quaſi dicat: Permiſſum eſt, ſeu dignum, atque licitum, ut propius videas, quod vix credibile videri poterat.

1 *Unus ineſt oculus*. Al. *Unus enim eſt*. Luſcus is proprie dicitur, qui alterutro captus eſt oculo: Unde Martialis *Lib.* VIII. *Ep.* LV: II. ait de quodam luſco ſimul & fure:

Aſpicis hunc uno contentus lumine, cujus
Lippa ſub attrita fronte lacuna patet.
Nec contemne caput &c.
Tunc furit, atque oculo luſcus utroque videt.

2 *Capitum ſed millia multa*. Pro arborum, olerumque ſummitatibus, *capitum* vocabulis eleganter utimur. Sic Claudian. *de Raptu Proſerpinæ*. Lib. III. ℣. 370. *Cupreſſi capita* dixit. Sic Florus Lib. I. cap. VII. *papaverum capita*, *& Silvæ capita* Sen. *in Troad.* ℣. 173. dixerunt. At diverſa ratione *capita alliorum*

dicuntur imæ illorum partes, quæ ex pluribus coalescunt nucleis, *& his separatim vestitis*, ut inquit Plin. Lib. XIX cap. VI. Proverbium est ex Aristoph. *in Ranis* excerptum: *Nec alii quidem caput*: ad significandum, quod nec minimum quid dederit, aut acceperit.

1 *Qui, quod habet, vendit.* Al. *quidquid habet*.

2 *Quod non habet inde parabit.* Al. *unde parabit?* Providentiæ divinæ œconomia in hominum gubernatione ex eo maxime apparet, quod non omnia singulis dat, nec æqualiter, ut mutuo se adjuvent, & ita res sibi necessarias comparent, ut iis quibus aliqui abundant, ab aliis emant, quæ sibi deficiunt.

XCIII.

FUNAMBULUS.

1. *Inter Luciferum cælum, terrasque jacentes*
3. *Æra per medium docta meat arte viator:*
3. *Semita sed brevis est; pedibus nec sufficit ipsis.*

NOTÆ, ET CASTIGATIONES.

1 *Luciferum*: Non heic substantive ponitur vox ista, sicuti quum Stella Veneris solem anteire solet appellatur apud Virgil. Eclog. VIII. ℣. 17.

Nascere, præque diem veniens age Lucifer almum.

Sed adjective Cælo jungitur eo prorsus sensu, quo Ovid *Heroid.* XI. ℣. 46. canit:

Jam novies erat orta soror pulcherrima Phœbi,
Denaque Luciferos Luna movebat equos.

Al.

Al. *Lucificum*. Al *Lucificam*.

2 *Terraſque jacentes*: I. E. imum tenentes locum in orbe Cælis oppoſitum. Virgil. III. Georg. ℣. 343.

. . . . . *Tantum campi jacent* &c.

Et Plin. Lib. XVIII. cap. XXV. ait: *Terræ jacentes ad Heſperum*. Sed appoſite Virgil. Lib. I. Æn. ℣. 228.

Deſpiciens mare velivolum, terraſque jacentes.

1 *Aëra per medium*. Sic etiam in verſu ſecundo ænigmatis LXIV. ad Virgilii imitationem III. Georg. ℣. 109.

Aera per vacuum ferri, atque aſſurgere in auras. Græcum quidem vocabulum; ſed latinis uſitatum, paſſimque receptum.

2 *Docta meat arte viator*. Al. *docte*. Al. *doctus*. Barthius Lib. V. *Adverſ.* cap. XIX. *docta volat arte*. Sed nullo præeunte Ms. Cod. *Artes doctæ* phraſis Ovidii eſt IX. *Metam.* ℣. 743. Sed heic eo ſenſu accipi debet hocce participium, quod apud Terent. *in Hecyr.* A. II. Sc. I. ℣. 6. dicitur: *Ludo doctæ ad malitiam*. Non enim bene morati hominis eſt, hujuſmodi artes exercere.

1 *Semita ſed brevis eſt*. Scilicet *Anguſta*. Horat. Lib. I Serm. ℣. 94.

. . . . . *brevi latere*.

2 *Pedibus nec ſufficit ipſis*. Pes enim amplior eſt fune, qua funabulus iter agit: Unde Manilius Lib. V. *Argon.* ℣. 660.

In prærupta dabit ſtudium, vincetque periclo
Ingenium, aut tenues auſus ſine limite greſſus,
Certa per extentos ponet veſtigia funes,
Et Cæli meditatus iter veſtigia perdet.

Apud Romanos antiquus cenſetur hujuſce artis uſus; nam Meſſala Corvinus vocabuli author dicitur, &

Sex. Julio, ac Gn. Cornelio Dolabella Ædil. Curub. quum ludis Megalensibus Terentii Hecyra acta esset; *neque spectari, neque cognosci* potuit, ut ipse ait in prologo; *Ita populus studio stupido in funabulo animum occuparat*. Deinde M. Aurelius Imperator: *Funabulis*, teste Capitolino cap. XIII. *post puerum lapsum, calcitras subjici jussit; unde hodiequæ rete prætenditur.* Tiberii Cæsaris ætate elephantos funambulos visos esse Romæ, narrant illorum temporum historici, & Suetonius cap. XI. in Nerone addit: *Notissimus Eques Romanus Elephanto superscdens per Catadromum decurrit*, I. E. *per extensum funem* Casaubono interprete. Etsi aliis repugnantibus, qui *per stadium*, seu *Decursorium* Græcam vocem Latina exponunt. Illud vere mirabile quod Plinius narrat Lib. VIII. cap. III. factum esse in munere Gladiatorio Germanici Cæsaris, nempe: *adversis quidem funibus subire, & regredi magis utique pronis*. Mirabilissimum, quod hisce oculis vidi: in fune genuflectere, eum deosculari, ictuque oculi erecto corpore a meta ad carceres redire.

XCIV.

DE MODO NUMERANDI EORUM, QUI DIGITIS MICARE DICUNTUR.

1. *Nunc mihi jam credas, fieri quod posse negatur,*
2. *Octo tenes manibus; sed me monstrante magistro,*
3. *Sublatis septem, reliqui tibi sex remanebunt.*

NOTÆ, ET CASTIGATIONES.

Titulus hujus ænigmatis in plerisque Mss. Codd. desidera-

deratur; immo & ipſum ænigma in quibuſdam omiſſum eſt. Nos arbitrio noſtro poſuimus rei indicium, de qua agi in eo putamus. Quotquot enim heic expoſitores ſumus, divinatoriæ potius, quam grammaticæ operam damus.

1 *Fieri quod poſſe negatur*. Phraſis Ovidiana. *Triſt.* I. Eleg. VII.

Omnia jam fient, fierique poſſe negabam.

1 *Octo tenes manibus*. Tota ænigmatis hujuſce argutia in eo ſita eſt, ut exponatur, qui fieri poſſit, ut ſex ei remaneant, cui ex octo ſeptem res ſint ablatæ. Heuman. plurimas heic expoſitiones variorum affert, quarum ſummam diſtinctis numeris ſubjicimus. Prima eſt Geſneri dicentis: Si omnes expandas utriuſque manus digitos, pollex, & index formabunt numerum Romanum V. alii vero tres ternarium, quibus ſimul ſumptis, octo diceris manibus ſingulis tenere. At ſi unius manus digitos omnes contrahas, ſimulque duos ultimos alterius manus; jam ſeptem unitates aufers, & remanent tibi pollex, & index erectus, quinarii figuram exhibentes; ſupereſt & medius, qui unitatem deſignat, quinario additam, ac propterea ſenarium efficientem.

II.

Haſæus ſumit octo canes, inter quos una fœmina eſt, quæ utero quinque catulos gerit: Ex iis omnibus ſeptem aufert, & ſenos jam remanere demonſtrat.

III.

Item: Sume octo Lilia, deinde ſeptem abjice, & reſervabis tibi ſex unius lilii folia.

IV.

Anonymus quidam Francofurtanus ad Oderam animadvertens, quod ex tribus hiſce carminibus primum conſtat octo vocibus, ſecundum ſeptem, tertium ſex, totum ænigma ſic interpretatus eſt, ut de carminibus ipſis intelligendum putaret.

V.

Gabriel Dumontius commodiſſime explicari poſſe exiſtimavit ex more veterum par digitos numerare: ii enim numerum ſenarium denotabant digitis ſiniſtræ manus omnibus expanſis, excepto annulari, qui palmæ remanebat adhærens. Ad Septenarium indicandum ſemierigebant annularem, & auricularem deprimebabant. Octonarium vero per pollicem, indicem, & medium dumtaxat erectos ſignificabant, ſicuti in ſubjecto latereulo diſtincte excudi curavimus.



Qui itaque hoc tertio modo, octo tenuiſſet, ſi auricularem digitum explicaſſet, & annularem omnimode

de inflexiſſet, jam notam ottonariam, & ſeptenariam ita abſtuliſſet, ut Senaria dumtaxat remaneret.

VI.

Theophilus Sigefridus Bayerus ſignificari per hæc carmina cenſet numerum XIII. more Romanorum efformatum; nam ſi primam figuram dividas, duplicem quinarium habebis vel inverſis capitibus: hoc modo , vel tranſverſis, nempe hac figura , quarum ſingulis addi debent tres proximæ unitates, ut ex quacumque parte octonarius conſurgat. At ſi poſtmodum VII. demas, ſcilicet notam unam quinariam cum duabus unitatibus, jam tibi ſenarium VI. I. I. uno ex his quatuor modis effermatum remanebit.

VII.

Idem Anonymus, de quo ſuperius locuti ſumus, diverſam ab illa, & quidem non contemnendam dedit explanationem; nempe, qui manibus teneret octo ſenarios, puta calculos, in quorum ſingulis numeri Senarii nota eſſet inſcripta, nonne ſeptem abjectis, unicum retineret Senarium?

VIII.

Anonymus alius, Heumanni diſcipulus, ſic, eodem teſte Heumanno ad eum inquiebat: *Octo tenes* E. G. *globulos manu* (*manibus enim jure poetico poſitum eſt pro manu*) *vel etiam manibus, ſi placet, I. E. ſingulis manibus, octo. En tollo ſeptem, vel ſeptenos ex octo illis globulis: nonne remanent ſex? unus nempe glo-*

globulus, & connumerandi ei quinque digiti manus, globulum tenentis ?

IX.

Item alius de ſcriptura Schedulæ ſic expoſuit: Scribe nomina octo menſium hoc modo:

Jan. Febr. Mar. Apr. Maj. Jun. Quin. Sex. nempe *Sextilis*. Aufer deinde ſeptem priores menſes, & am ſenarius numerus unice remanebit in prima ſyllaba octavi menſis.

X.

Addamus decimam ſolutionem, ſecundum ea, quæ innuuntur in titulo. *Micare digitis* luſus quoddam genus eſt, quod non ſolum apud Italos, verum etiam apud Iſpanos, & Gallos adhuc a plebe exercetur; illi ſiquidem dicunt *Amorra*, iſti *la Mourra*: *Nos gi-vocare alla Morra*, ſeu ut Meurſius vult: *alla Mora*, quaſi Maurorum morem imitemur; quod tamen falſum eſt; nam de hocce vulgari ludo mentionem fecit Cicero Lib. II. *de Divinatione* cap. LXXXV. quum ait: *Quid enim ſors eſt? Idem propemodum, quod micare, quod talos jacere* &c. Et M. Varro apud Nonium Lib. IV. n. 303. *Micandum erit*, inquit, *cum Græco, utrum ego illius numerum, aut ille meum aſſequatur*. Duo ſaltem eſſe debent, qui hocce ludo exercentur, ita quidem, ut eodem momento temporis, porrectis dexteræ manus quisbulibet digitis, uterque unitatum illarum numerum divinare contendens, clara eum voce pronunciet. Quum primum concertantium unus, alio errante, divinat, pollicem ſiniſtræ manus erigit, & *unum tenere dicitur*. Quum iterum divinat indicem extollit, & ſic deinceps uſque ad quinarium, quem

quem manu expanſa, & cum altera repercuſſa, plauſu quodam deſignat. Ne autem ulterius procedendo numeri confundantur, qui ſexto miſſo unitates digitorum prænunciat, non amplius a pollice, ſed ab auriculari erecto, cæteris compreſſis enumerare incipit, & ordine inverſo ad decimum uſque, qui terminus attingendus victori eſt, regreditur. Hinc apparet, quod *octo tenere* is dicitur, qui indice, & pollice complicatis, tres alios digitos ſiniſtræ manus ſervat erectos: ſicuti figura illius in laterculo ſuppoſito oſtendit ſub litera A.



Quoniam vero non raro contingit, ut ante quam is, qui octo tenet, numerum denarium compleat: etiam adverſarius octo vicibus vincat, & par cum pari micare incipiat ea lege, ut a Senario, cæteris omiſſis, novus ludus capiat exordium, & ille victor remaneat, qui primus denarium obtineat; hinc fit, quod ambo, qui dudum octo manibus tenebant, ſeptem ablatis digito-

gitorum notis, unicam senarii retineant, quam unicuique servat auricularis erectus, ut in eadem tabella manu dextera demonstramus sub litera B. At de hoc ænigmate satis; nam ut Horat. monet. I. Epist XIV. vers. 36.

Nec lusisse pudet: sed non incidere ludum.
Nunc itaque amoto quæramus seria ludo.

XCV.

UMBRA.

1. *Insidias nullas vereor de fraude latentes;*
2. *Nam Deus attribuit talis mihi munera formæ,*
3. *Quod me nemo movet, nisi quis prius ipse movetur.*

NOTÆ, ET CASTIGATIONES.

Quidam Mss. Codices habent pro titulo hujus ænigmatis *Echo*, seu *Echo de umbra*, vel *de Echo, & umbra*: quas lectiones, utpote incongruas, meliores rejiciunt, & natæ apparent ex proximi ænigmatis sequentis inscriptione.

1 *Insidias nullas vereor*. Cum accusativo verbum *vereor* a bonis etiam latinis non semel usurpatum invenimus, ut *bella vereri* apud Ovidium, &c. Cæsar. II. *Bello Gall. Insidias veritas*: Heum. exhiber heic Jo: Lauterbachii Epigramma, quod ænigmatographiæ Reusnerianæ parte II. habetur pag. 28., cujus ultimum distichon ex hoc, ac ultimo nostri versu depromptum esse noscitur; ait enim:

Nil

Nil fraudes vereor, mala nil diſcrimina, neque
Sede. prior moveat ſe niſi, nemo movet.

1 *De fraude latentes.* Al. *latenti.* Al. *Intentis.* Lactantii ſolitam dicendi formam. Ὁ *de fraude* oſtendit, nec Africiſmum ſapit, ut heic iterum obtrudit Heumannus; nam propoſitione *de* pro *ex*, *A*, vel *Ab*, paſſim apud optimos latinos tam Oratores, quam poetas invenimus. Cicero pro eodem habuit *in Orat.* 38. dicere: *Non ex inſidiis, ſed aperte, ac palam.* Et *Offic.* 1. 109. *Nihil ex occulto, nihil de inſidiis agendum putant.*

2 *Nam Deus*: Fallor! an heic non polytheiſtam; ſed unius Dei aſſertorem adoleſcentem Lactantium mihi videre videor?

2 *Talis mihi munera formæ*: Al. *hujus mihi &c.* Al. *nobis hæc munera &c.*

3 *Niſi, quis prius ipſe movetur.* Lucretius Lib. IV. a verſ. 364. hac de re ſic locutus eſt:

Umbra videtur item nobis in ſole moveri,
Et veſtigia noſtra ſequi, geſtumque imitari,
Aëra ſi credas privatum lumine poſſe
Endogradi, motus hominum, geſtumque ſequentem;
Nam nihil eſſe poteſt aliud, niſi lumine caſſus
Aer id, quod nos umbram perhibere ſolemus.

XCVI.

ECHO.

1 *Virgo modeſta nimis, legem bene ſervo pudoris.*
2 *Ore procax non ſum, nec ſum temeraria lingua.*
3 *Ultra nolo loqui; ſed do reſponſa loquenti.*

NO-

NOTÆ, ET CASTIGATIONES.

1 *Virgo modesta*: Iccirco hæc dici possunt, quoniam puella, cui a poëtis nomen Echo fuisse dicitur, repulsam a Narcisso passa, ut Ovidius ait *Lib. III. Metam.* pag.110. vers.4.

Spreta latet sylvis, pudibundaque frondibus ora
Protegit, & solis ex illo vivit in antris.

2 *Ore procax non sum*. Quare ergo Ovidius eam appellat non solum Nympham *vocalem*, verum etiam *garrulam*? Nempe quoniam talis fuisse fertur antequam a Junone in pœnam suæ procacitatis datum ei esset:

Reddere de multis ut verba novissima posset
Solummodo.

3 *Ultro nolo loqui &c.* Idem Ovidius pag. 112. vers.12.

. . . . . *Quæ nec reticere, loquenti,*
Nec prior illa loqui didicit resonabilis Echo.

Caussa autem, a qua Echo producitur, repercussio aeris est, sive soni, ac vocis reflexio, quæ instar aquæ defluentis, si obstaculum in fluxu offendat, retroacta, inversa regreditur per pressionem elasticitatis; unde non vocis imago est; sed vox ipsa retrograda. Hinc, si per sphæram corporis oppositi sese expandens, in plures superficies impingat, ita ut undique repelli contigat, tandem fortior erumpit, nec non interdum geminatur. Plinius *Lib.XXXVI. cap.XV.* de Cyzicæna Græciæ urbe, olim clarissima loquens, ait: *Juxta portam, quæ Thracia vocatur, turres septem acceptas voces numerosiore repercussu multiplicant, nomenque huic miraculo ECHO est a Græcis datum. Et hoc quidem natura locorum evenit, & plerumque convallium. Ibi casu accidit.*

XCVII.

SOMNIUM.

1. *Sponte mea veniens varios oſtendo figuras.*
2. *Fingo metus vanas, nullo diſcrimine vero;*
3 *Sed me nemo videt, niſi qui ſua lumina claudit.*

NOTÆ, ET CASTIGATIONES.

1 *Sponte mea veniens &c.* Sunt qui de Somno hoc intelligunt, quia ex imminutione ſpirituum animalium in ſanis corporibus Somnum ſua ſponte oriri, medicorum, philoſophorumque plurimi docent. Hinc inferunt breviorem eſſe in iis, qui ſunt ſiccioris temperamenti, vel minus in exercitationibus fatigati; Nam in eis facile ſpirituum vires inſtaurantur, & nervorum filamenta corroborant, ſublevant, ſeparant, & ad officia revocant, quæ præ laſſitudine peragere nequibant: unde Virgilius Æn. XII. a verſ. 908.

Ac velut in ſomnis oculos ubi languida preſſit
Nocte quies, nequicquam avidos extendere curſus
Velle videmur, & in mediis conatibus ægri
Succidimus. Non lingua valet, non corpore notæ
Sufficiunt vires, nec vox, aut verba ſequuntur.

1 *Varias oſtendo figuras*: Al. *vanas*. Somnum ſomnia ſequuntur, quæ nec unius generis ſunt, nec ſemper ex eadem cauſſa oriuntur. Egimus de his cum Lactantio Cap. XVIII. *De Opif. Dei* a ſeg. 2. ad 9., & diſſ. XXV. cap. VI. §. IX., ad quæ loca lectorem noſtrum ablelagamus.

2 *Fingo metus vanos*. Al. *varias*. Noſtra lectio ex ſequentibus confirmatur: ſubdit enim, ſe loqui de timo-

timore, qui non ex vero aliquo diſcrimine oriatur; ſed potius ex fantaſia meticuloſa, quæ tetris ſcatet imaginibus ex mala præſertim conſcientia, vel ex iis, quibus ſe aliquis novit obnoxius: ea quippe quis ſibi videre in ſomniis putat, inter quæ ſæpius verſatur. Sic miles, arma, & vulnera: Paſtor oves, & lupos, mare, & naufragia ſomniat Navarchus.

3 *Sed me nemo videt niſi &c.* Hinc apparet huiuſce ænigmatis titulum non ſomnum: ſed ſomnium eſſe debere: nam nullus ſomnum; ſed ſomnia videre quiſque dicitur; Unde Lucretius lib. IV. a ℣. 455. ait:

Denique quum ſuavi devinxit membra ſopore
Somnus, & in ſumma corpus jacet omne quiete:
Tum vigilare tamen nobis, & membra movere
Noſtra videmur, & in noctis caligine cæca
Cernere cenſemus Solem &c.

XCVIII.

MONUMENTUM.

1. *Nomen habens hominis poſt ultima fata relinquor;*
2. *Nomen inane manet; ſed dulcis vita profugit.*
3. *Vita tamen ſupereſt morti poſt tempora vitæ.*

NOTÆ, ET CASTIGATIONES.

1 *Nomen habens hominis.* Munumentum ex Cicerone *ad Cæſar.* nihil aliud eſt, niſi id, quod nomine ipſo eſſe monemur, & iccirco *ad memoriam magis ſpectare dabet poſteritatis, quam ad præſentis temporis gratiam.* Heic tamen a poeta uſurpatur

tur pro ſepulchro, quatenus Varro *Lib. V. L. L.* ait: *Monumenta a monendo, quæ ſunt in ſepulchris.* Secundum quam acceptionem in Epitaphiis exponuntur notæ illæ: M. H. S., vel *M. H. N. S.* Scilicet *Monumentum Hæredes ſequitur*: vel *non ſequitur*. Unde Horatius I. Serm. VIII. ℣. 13.

Mille pedes in fronte, trecentos cippus in agrum
Hic dabat, hæredes monumentum ne ſequeretur.

In his autem ſatis notum eſt Nomen eorum inſcribi, ſolitum eſſe, qui illuc jam illati, ſeu inferendi erant.

1 *Poſt ultima fata relinquor.* Al. *poſt ultima ſaxa relinquo.* Al. *poſt ultima fata remanſi.* Vel *remanſit.* Al. *poſt ultima ſacra.* Præfero lectionem trium Mss. Codd. Vaticanorum, quam etiam ſecutus eſt Salmaſius *in Exercit. Plin.* pag. 858, & quæ cum ſequentibus magis congruit. Sæpe enim in ſepulchris ſolum nomen remanet illius, cujus cineres quoque tempus abſumpſit; unde ſequitur:

2 *Nomen inane manet*: Scilicet ſine re, quam ſignificat: Horat. I. *Epiſt.* XVII. ℣. 41. *Aut virtus*, inquit, *nomen inane eſt.* Proprie de Cenotaphio dicitur, quod *tumulum honorarium* Svetonius *in Claudio appellavit*: *Cæterum*, inquiens, *exercitus honorarium tumulum ei excitavit* &c. in quo ſcilicet nihil ejus erat præter nomen. Vide Virgil. Æn. III. ℣. 304.

3 *Vita tamen ſupereſt Morti.* Heum. *ſupereſt multis.* Quaſi poeta noſter illud Horatianum habuiſſet in mente: *Dignum laude virum, muſa vetat mori*; Sed etiam ſervata Mss. Codd. lectione hanc ſententiam exprimit totum hocce carmen. Is enim morti ſupereſſe dicitur, cujus nomen poſt longa-

tempora apud homines celebratur, & propterea immortale quorundam nomen, ac fama sæpe in lectionibus occurrit; unde Lucretius, hominem de se ipso post fata futurum cogitantem sic eleganter describit Lib. III. a ℣. 889.

. . . . . *Et inde*
Nec radicitus è vita se tollit, & ejicit:
Sed facit esse sui quidquam super instius ipse.

3 *Post tempora vitæ*: Al. *post mortis tempora vitæ*. Al. *post vitæ tempora longa*.

XCIX.

ANCHORA.

1. *Mucro mihi geminus ferro conjungitur unco.*
2. *Cum vemo luctor, cum gurgite pugno profundo.*
3. *Scrutor aquas medias; ipsas quoque mordeo terras,*

NOTÆ, ET CASTIGATIONES.

1 *Mucro mihi geminus*. Titulum non omnes cum adspiratione scribunt, Græcos secuti; sed docente Servio ad Virg. Æn. I. vers. 169. errant, nam *in latino adspiratur*. Dicitur autem *mucro geminus*, non quia anchoræ duos solummodo habeant dentes; sed quod dens quilibet, sagittarum instar, geminata cuspide ex parte oppositâ armatur. Item earundem plurimas duobus tantum dentibus constantes vidimus; fiet, ut plurimum, tres, quatuorve habeant retortos uni recto circum hærentes uncos.

1 *Conjungitur unco*: Firmat hoc expositionem quam

quam nota ſuperiori dedimus, & excludit lectionem aliquorum, qui exhibent *conjungitur uni*. Nam etſi haſtili uno tam infra, quam ſupra quotquot ſunt dentes uniantur; non tamen tunc verum aliquando eſt duplicem dumtaxat habere mucronem. Virgil. Lib.I. æn. verſ.169. ſuperius laudato ait:

. . . . . *Unco non alligat anchora morſu*.

2 *Cum ventis luctor*. Ventos translate vel ſecum, vel cum navibus, aut cum nautis luctari ſæpe legimus; cum anchoris numquam; at non ſolum metaphorico nitori non officit hæc locutio: verum etiam eum geminat, quoniam luctari ab hominibus ad ventos translatum eſt, & quidem non ab iis, qui minime repugnare queunt; ſed ab illis, qui non facile abripi patiuntur, fortiterque reſiſtunt; in quo major eſt anchoræ, quam navis, cum reluctantibus ſimilitudo; nam navigia, & nautæ nonniſi anchoris innixa, ventis luctantibus obſiſtunt.

2 *Cum gurgite pugno profundo*. Non enim ſtatimac anchora jacitur, ſolo ſtabili infigitur, quo indiget, ut firma, & tuta navis eſſe quat; ſed aliquandiu arenam arat, atque eam continue pervadens, tandem ſeſe ita in terræ imis veſceribus inſinuat, ut quo magis, ventis navim impellentibus, ſuccutitur, eo profundius cuſpides ingerit, & magis, magiſque firmatur.

3 *Scrutor aquas medias*. Quum anchora ſuo pondere ad maris fundum deſcendit, ſecum funes, quibus alligatur, trahit, & ex eorundem longitudine aquarum altitudinem nautæ dignoſcunt.

3 *Ipſas quoque mordeo terras*. Confirmant hæc, quæ ſuperius annotavimus, & appoſite Virgil. Æn. VI. ℣. 3. ait:

Obvertunt pelago proras: tum dente tenaci
Anchora fundabat naves &c.

C.

OLLA, seu LAGENA.

1 *Mater erat tellus, genitor fuit ipse Prometheus:*
2 *Auriculis redimita vehor cum ventre cavato;*
3 *Dum cecidi infelix mater mea me divisit.*

NOTÆ, ET CASTIGATIONES.

1 *Mater erat tellus.* Titulus variat tam in vulgatis, quam in Mss., quoniam re vera hocce ænigma, nec ollam, nec lagenam determinate describit; sed vas omne fictile utraque parte ansatum, qualis certe non erat omnis olla, nec Urceus, nec Cantharus, nec Cacabus, utpote quæ fictilia erant, unica, panda, seu arcuata ansa, ut plurimum, fulta.

1 *Genitor fuit ipse Prometheus.* Non solum hominis simulacrum de pingui, & molli luto primus dicitur Prometheus, effecisse; verum etiam eidem figlini operis inventio tribuitur. Unde Juvenalis *Sat.* XV. ℣. 133. ait:

Debetur magnus Patinæ, subitusque Prometheus.

De Prometheo sæpe Lactantius meminit, præsertim Lib. *De Opif. Dei* Cap. I. seg. 11., & lib. II. cap. XI. seg 5. Nos de eodem plurima diximus differt. XXVII. cap. IV. §. XIX.

2 *Auriculis redimita vehor.* Id est: ansulis, quibus

bus vaſa manu teneri, atque agitari ſolent. In vulgatis hactenus legebatur: *Auriculæque regunt redimite ventre cavato*: quaſi venter, qui ab anſulis cingitur, ipſe potius cingeret auriculas. Reſtitui itaque lectionem ex veteri Ms. Cod. Ottoboniano, cartaceo, & ſemilacero obſignato E. n. 9. pag. 201. nunc Vaticano, in quo, *veho* pro *vehor* habetur. Et ex 2. B. apud Heum. *in variant. lect.*, quo *auriculas* pro *ariculis*, & itidem *veho* exhibetur.

3 *Dum cecidi infelix*. Al. *miſera*.

3 *Mater mea me diviſit*. Verſus iſte ſpondaicus eſt, quod fortaſſe amanuenſes librarii jure poëtico fieri poſſe neſcientes, in quibuſdam Mss. Codd. ſcripſerunt: *me ante diviſit*, quod nec fieri, nec concipi poteſt, in primis, quia prima ſyllaba in *diviſit*, longa eſt; ſecundo quia poſtquam in terram decidit, vas fictile dividitur, ac frangitur; non autem antea. Sunt etiam, qui legunt: *Mater mea meque diviſit*: Al. *mater mea poſt diu vixit*.

ÆNIGMATUM
INDEX ALPHABETICUS.

Acetum Ac. 80.
Acus 55.
Anchora 99.
Annulus ſignatorius 3.
Aranea 17.
Arundo 2.
Balneum 87.
Beta 42.
Caliga, vide *Linum*
Calx 74.
Capillus 58.
Capra 30.
Catena 5.
Centaurus 39.
Cepa 44.
Clavis 4.
Clavus caligaris 57.
Clepſydra 69.
Cochlea 18.
Conditum 80.
Cornicula 27.
Cucurbita 43.
Curculio 24.
Ebur 49.
Echo 96.
Ericius 29.
Farina 52.
Flagellum 65.
Flumen, & Piſcis 11.
Fœnum 50.
Follis 72.
Formica 22.
Fumus 7.
Funambulus 93.
Glacies 10.
Graphium, vide *Stylus*
Grus 26.
Hamus 54.
Lagena, vide *Olla*
Lapis 73.
Laterna 66.
Lilium 46.
Linum 56.
Lupus 33.
Luſcus 92.
Malleus 84.
Malva 41.
Malum 82.
Miles Podagricus 91.
Mola 51.

Monu-

Monumentum 98.
Mula 37.
Mulier geminos pariens 90.
Mus 25.
Muſca 23.
Myrrha 48.
Navis 13.
Nebula 8.
Nix 12.
Olla 100.
Papaver 40.
Pecunia 89.
Pediculi 30.
Perna 83.
Phoenix 31.
Pila 59.
Piſtillus 85.
Pluvia 9.
Pons 61.
Porcus 36.
Pullus in ovo 14.
Puteus 70.
Rana 19.
Roſa 45.
Rota 76.
Sagitta 64.
Scala 77.
Scopa 78.
Serra 60.
Silex 75.
Somnus 97.
Specular 67.
Speculum 68.
Spongia 62.
Strigilis 86.
Stylus 1.
Talpa 21.
Taurus 32.
Tegula 6.
Teſſera 88.
Teſtudo 20.
Thus 47.
Tigris 38.
Tinea 16.
Tintinnabulum 79.
Tridens 63.
Tubus 71.
Vas fictile anſatum, vide *Olla*
Veſpertilio 28.
Vipera 15.
Vitis 53.
Umbra. 95.
Uter, vide *Follis*
Vulpes. 34.

L. C. LACTANTII FIRMIANI

CARMEN DE PHOENICE.

Est locus in primo felix oriente remotus [a],
Qua patet æterni maxima porta poli [b]:
Nec tamen [c] *æstivos, hyemisque propinquus ad ortus:*
Sed qua [d] *sol verno fundit ab axe diem.*
Illic

---

a *Felix oriente remotus*. Al. *remotu*. Sed male; nam *locus felix*, & *remotus* est Arabia Felix, Peninsula inter duo maria, Rubrum scilicet, & Persicum interjacens. Merito *felix* dicta, utpote quæ aeris temperie, camporum ubertate gaudet, & saluberrimarum arborum, ac fugum omnium ferax est. Unde etiam *Beatæ* cognomen habuit ex Plinio. Ex hac Arabiæ parte Regina Saba Hierosolymam, Salomonis sapientiam exploratura, venisse dicitur.

b *Æterni maxima porta poli*. Æternus heic valet eviternum, cujusmodi cælum est, quod etsi initium habuerit, fine tamen est cariturum. Pro *porta maxima*. Al. habent: *Janua celsa*; minus apte; nam infra vers. 7. iterum: *juga celsa*: Poeta non dixisset. Ennius apud Lact. Lib. I. cap. XVIII.

Mi soli cæli Maxuma porta patet.

c *Nec tamen*. Al. *nec tantum*.

d *Sed qua*: Al. *in qua*. Al. *in quo*. Nihil mutandam; nam To *qua* tam heic, quam versu superiori, est ad-

Illic planicies tractus diffundit apertos.
Nec tumulus crescit, nec cava vallis hiat:
Sed nostros montes, quorum juga celsa putantur,
Per bis sex ulnas eminet [a] *ille locus.*
Hic solis nemus est, & consitus arbore multa [b]
Lucus perpetuæ frondis [c] *honore viret.*

Quum

---

adverbium loci. Unde Cicero 1. *de Orat.* n.70. ait: *Licet illi vagari qua velit.* Et Virgil. 1. Æn. vers. 404.

Perge modo, & qua te ducit via, dirige gressum.

a *Per bis sex ulnas eminet*: Barthius mallet: *Ter bis sex*, ne spatium vilius videretur; sed quum ulna mensura sit duorum palmorum, seu ut alii volunt, unius cubiti, non adeo vilis esse videtur altitudo, qua Arabiæ montes alios superant: Nimium vero eos excederet si XXXVI. ulnis cæteris omnibus esset altior. *Eminet nostros montes.* Sic Curtius Lib. IV. cap. II. *moles aquam eminebat*,

b *Et consitus arbore multa*: Heins. legit, & corrigit: *stat consitus* &c. Sed nihil mutandum censeo; nam & in fine versus sequentis habetur: *Viret* pro *virens*, & *Lucus*, a *Nemore* distingui debet, utpote qui Ethnicis locus erat in Sylvis, quarum arbores sanctæ haberentur, & a nemine cædi possent, aut aliquo modo violari, quoniam delubris Deorum, ac virorum sepulchris dicatæ. Hinc Servius ad illud Virgilii æn. 1. ℣. 445.

Lucus in urbe fuit media &c.

ait: *Ubicumque Virgilius lucum ponit, sequitur etiam consecratio* &c.

c *Perpetuæ frondis*: Laurus arbor perpetuæ frondis

Quum Phaethontæis [a] *flagraſſet ab ignibus axis,*
Ille locus flammis inviolatus erat.
Et quum diluvium merſiſſet fluctibus orbem,
Deucalionæas [b] *exuperavit aquas.*
Non hunc [c] *exangues morbi* [d], *non ægra ſenectus,*
Nec mora crudelis, nec metus aſper adit,
Nec ſcelus infandum, nec opum veſana cupido,
Aut Mars [e], *aut ardens cædis amore furor:* Lu-

---

dis dicitur, Apollini, ſeu Phœbo dicata propter Daphnem in Laurum converſam. Vide ejus Fabulam Lib. I. Metam. Ubi pag. 33. ℣. 8. Apollo ſic fatur:

Tu quoque perpetuos ſemper gere frondis honores

a *Quum Phaetontæis*: Alludit Poeta ad incendium totius orbis, quod Ethnici contigiſſe dicebant, quum Phaeton, Solis filius, currum ejus regere tentaſſet. Vide Ovid. Lib. II. *Metam.* fab. 1.

b *Deucalionæas* &c. De diluvio, quod tempore Deucalionis, & Pyrrhæ contigiſſe poetæ dixerunt, locuti nos ſumus Lib. II. cap. XI. ſeg. 9. ſeq.

c *Non hunc*. Al. *Non huc*.

d *Exangues morbi*: Sic Ovid. Lib. XV. Metam. pag. 580. verſ. 16.

Pallidaque exangui ſqualebant corpora morbo

ubi Al. legunt *tabo*. Quamquam enim proprium ſit animalis eſſe, quum jugulantur ſine ſanguine per figuram morbis tribuitur, quum illis etiam corpora aſſignamus pallida, & virulenta.

e *Aut Mars*: Sic omnino legendum; non autem

ut

Luctus acerbus abeſt, & egeſtas obſita pannis [a],
Et curæ inſomnes, & violenta fames.
Non ibi tempeſtas, nec vis furit horrida venti.
Nec gelido terram rore pruina tegit [b].
Nulla ſuper campos tendit ſua vellera nubes [c],
Nec cadit ex alto turbidus humor aquæ.
Sed fons in medio [d] *eſt, quem vivum nomine dicunt,*
Perſpicuus, lenis, dulcibus uber aquis,
Qui

---

ut alii : *aut Metus* : Nam ſupra de metu mentionem fecerat.

a *Egeſtas obſita pannis* : Mendici enim Pannoſi dicuntur, quia pannis vilioribus, & laceris corpus ſuum operiunt. Terent. *Eun.* A.II. Sc.II. verſ. 5.

Video Sentum, ſqualidum, ægrum, pannis, aniſque obſitum.

b *Rore pruina tegit* : Pruina ex gelato rore fit, quum jam herbas, & terras ros madefecerit primo mane Unde Ovid. Lib.III. Faſt. pag.534. ℣.13.

Mollis erat tellus rorata mane pruina.

c *Sua vellera nubes* : Sæpe hac metaphora uſus eſt Lucretius, & Lucan. Lib.IV. ℣.123. ait :

. . . . . *Jam clarior aer,*
Et par Phœbus aquis denſas in vellera nubes.
Sparſerat &c.

d *Sed fons in medio* &c. In quibuſdam fontibus hoc obſervatum eſt, quod ex lunæ motibus pendent aquæ modo incrementa, modo detrimenta, inde oſtendentes ; ſicuti Maris æſtus in novilunio, ac plenilunio præſertim mutari.

Qui semel erumpens per singula tempora mensum [a],
Duodecies undis irrigat omne nemus.
Hic genus arboreum procero stipite surgens,
Non lapsura solo mitia poma [b] *gerit.*
Hoc nemus, hos lucos avis incolit unica Phœnix [c],
Unica, sed vivit [d] *morte refecta sua* [e],
Pa-

---

a *Mensum*: Pro *Mensium*; quod fit per Syncopen ut Ovid. Lib. v. *Fast.* ℣. 8. p. 632.

Nec tu dux Mensum Jane biformis eras.

Et p. 621. vers. 9.

. . . . . *Cadantque tibi confinia mensum.*

b *Mitia poma*. Sic Virgil. Eccl. 2. ℣. 81.

. . . . . *Sunt nobis mitia poma*

Scilicet *matura*, quæ, ut ibidem ait Servius, *non mordent* quum mordentur. Sicuti de Cepa Noster dixit *in Sympos. ænig. XLIV.* Miti enim non minus *asperum*, quam *acer* opponitur.

c *Avis incolit unica Phœnix*: Claud. in Epigr. de Phœnice ait vers. 7.

Hæc fortunatus nimium Titanius ales
Regna colit, soluſque plaga defensus iniqua
Possidet intactas ægris animantibus oras.

& Ovid. II. *Amor.* El. VI. vers. 9. ante finem:

Et vivax Phœnix unica semper avis.

Plinius vero Lib. XII. cap. XIX. de Cinnamomi, & Casiæ loquens arbustis ait: *Avium nidis, & privatim Phœncis* deservire.

d *Sed vivit*. Al. *sic vivit*.

e *Morte refecta sua*. Ut infra declarabimus. Refecta enim *a reficio* deducitur. *Phœ-*

Paret, & obſequitur Phœbo memoranda ſatelles [a].

Hoc natura parens munus habere dedit.
Lutea quum primum [b] *ſurgens aurora rubeſcit,*
Quum primum roſea ſydera luce fugat,

Ter

---

a *Phœbo memoranda Satelles*. Al. *Phœbi*. Sic Aquila dicitur Jovis Satelles apud Cicer. Lib.II. Tuſcul. & l. de Divinat.

Triſti advolatu aduncis lacerans unguibus
Jovis ſatelles paſtu dilaniat fero.

b *Lutea quum primum*. Phavorinus apud Gellium docet, Luteum eſſe colorem ſubrufum, qualis erat color Flammei, quo novæ nuptæ tegebantur. Unde Catullus in Nuptiis Juliæ, & Manlii Torquati cecinit: verſ. 8.

Flammeum cape. Lætus huc,
Huc veni, niveo gereus
Luteum pede Soccum.

cui tamen repugnaret Tibullus *Eleg.*VIII. verſ. 44. ubi ait:

. . . . . *Non illi ſontica cauſſa eſt;*
Sed nimius luteo corpora tingit amor.

Si exponatur per Claudianum adagium: *Gratus amantum pallor*. Hinc potius dicendum eſt luteum colorem eſſe croceum, ad rubrum tendens, quod aperte docet Virgil. *Eccl.*IV. verſ. 43. canens:

Ipſe ſed in pratis aries jam ſuave rubenti
Murice jam croceo mutabit vellera luto.

Et egregie omnes conciliat Horatius Carm.III.

Nec tinctus viola pallor amantium. *Li-*

Ter quater illa pias immergit corpus in undas :
Ter quater e vivo gurgite libat aquam [a].
Tollitur, ac summo considit [b] *in arboris altæ*
Vertice, quæ totum despicit una nemus :
Et conversa [c] *novos Phœbi nascentis ad ortus*
Expectat radios, & jubar exoriens.
Atque ubi sol pepulit [d] *fulgentis limina portæ.*
Et primi emicuit luminis aura levis [e].

In-

---

a *Libat aquam*. Claud. ubi supra hoc negare videtur, vers. 13. ubi ait :

. . . . . *Non fontibus ullis*
Assuetus prohibere sitim &c.

b *Ac summo considit*: Sic cum Bunem., ac tribus Mss. Codd. lego. Al. *considet*. Al. *concedit*. Nostra lectio proprietatem sermonis servat, & a *consido* derivatur, quod motum importat, ut bene notant Grammati.

c *Et conversa*. Al. *At*, vel *ast quum versa*. Al. *Sic versi*.

d *Pepulit*. I. E. tetigit, aut percussit. Lucr. vi. vers. 309

Frigida cum venti pepulit vis missa sine igne.

e *Aura levis*. Eleganter, ac philosophice dictum. Verissimum quippe est, primam diei lucem una cum aura levi propagari. Siquidem quum lux producat sui motus pernicitate in aere calorem, & per calorem rarefactionem illius, aer sic rarefactus, majus spatium quærens, per quod dilatari possit, propinquio-

Incipit illa ſacri modulamina fundere cantus,
Et mira lucem voce ciere novam [a].
Quam nec Ædoniæ [b] *voces, nec tibia poſſit*
Muſica Cyrrhæis [c] *aſſimilare modis.*

Sed

---

quiorem materiam ſua actione propellit, ex cujus impulſu tenuis aura lucem comitatur orientem; tandiuque durat, quamdiu ſolares radii ſunt obliqui; nam quum perpendiculares fiunt, aeri æquilibrium reſtituunt.

a *Voce Ciere novam*. Al. *movere*. Al. *monere*. Al. *fovere*. Al. *referre*. Sed nihil mutandum: *Ciere* quippe verbum eſt Lactantio familiare. E. G. IV. cap. XVIII. ait: *Ciere animas ab inferis*. Lib. V. cap. XVI. *Ciere veris nominibus*. Lib. IV. *Cieri vocabulo hominum*. Proprie ſignificat: *vocibus ſollicitare*. Virgil. VI. Æn. ℣. 165.

Ære ciere viros, Martemque accendere cantu.

Et Tibull. Lib. I. Eleg. II. ℣. 49.

Jam ciet infernas magico ſtridore catervas.

b *Quam nec Ædoniæ*. Variant maxime in hac voce tam Mss. Codd., quam editi; & quidam legunt: *Adoneæ*. Al. *Julæ*. Al. *Hylæe*. Al. *Aidonæe*. Significatione longe ſatis petita. Ego vero lectionem ſequor Mss. Codd. Vatic. 2., quæ obvium ſenſum reddit; & Lactantio dignum, nam *Ædonius* adjectuum eſt ab *Ædon*, *onis* efformatum, & idem valet ac *Luſcinianus*, ſeu *Philomelæus*. Ædon quippe Avis eſt, quæ & Luſcinia, & Philomela dicitur. Appoſite Virgil. *in Catal. de Cantu Sirenum.* ait:

Quod-

Sed neque olor moriens [a] *imitari posse putatur,*
Nec Cyllenææ fila canora lyræ [b].

Post-

Quodque leves calami, quod suavis cantat Ædon.
Quod lyra, quod citharæ, quod moribundus olor.
Et Calphur. Ecl. VI. ℣. 68.
Vocalem superet si turbis Æona Bubo.
Senec. *in Herc. Oet.* ℣. 199. *Sylvas* memorat *Ædonias*, & Lucan. in *Paneg. Pison.* ℣. 257. ait:
Sic & Ædonia superantur voce cicadæ.

c *Cyrrhais* &c. Id est, modulationibus Musarum. Cyrrha enim locus est ad radices Montis Parnassi situs, ubi quondam Delphorum erat navale ad Crissæum, seu Corinthiacum Sinum, distans a Delphis IX. stadia in Austrum. Martial. Lib. I. *Epig.* LXXVI. ℣. XI.
Quid tibi cum Cyrrha? Quid cum Permessidis unda?

a *Olor Moriens*: Jam ex nota 47. patet hæc ad Virgilii imitationem esse dicta; & quamvis Plinius Lib. X. cap. XXIII. dixerit: *Olorum morte narratur flebilis cantus, falso, ut arbitror, aliquot experimentis*; Poetæ tamen hoc veluti pro explorato habent. Unde Ovid *Lib. II. Trist.* pag. 471. à ℣. 19.
Flebilibus veluti numeris canentia dura
Trajectus penna tempora cantat olor.

b *Nec Cyllanæ . . . Lyræ*. Lyræ tractandæ modus, ut Lactantius habet Lib. I. cap. X. seq. 7. (c). à Mercurio dicitur inventus, qui à Cyllene oppido in ora Peloponnesi occidentali, prope Promontorium Craxum, hodie *Chiarenza*; seu potius à Cyllene Arcadiæ monte maximo, in quo Mercurius fingitur genitus; Cyllenius nominatus est. Horat. Lib. I. Ode X.
Mer-

Poſtquam Phoebus equos [c] *in aperta refudit olympi* [d],
Atque orbem totum protulit uſque meanſ [e]:
Illa ter alarum repetito verbere plaudit
Innumerabilibus [a] *nocte dieque ſonis*:

N *Atque*

Mercuri facundæ &c.
Te canam magni Jovis, & Deorum
Nuncium, curvæque lyræ parentem.
Et Virgil. Geor. 1. ℣. 337.
Quos ignis Cæli Cyllenius erret in orbes.

c *Poſtquam Phoebus equos*. Poetæ ſoli currum tribuentes, equos etiam quatuor adjungunt, quorum nomina recenſet Ovidius *Lib.II. Metam. Fab.*1.℣.13. pag.52.
Interea volucres Phyroeus, & Eous, & Ethon
Solis equi, quartuſque Phlegon &c.

d *In aperta refudit Olympi*: Sic abſolute: *Per aperta volans* dixit Virgil. Georg.III. ℣.194. Olympius autem Mons, qui Theſſaliam inter, & Macedoniam extollitur, tantæ altitudinis verticem habere dicitur, ut ſummum ejus Cælum tangere videatur: Eum propterea Poetæ Cælum aliquando appellant, motuque diurno a ſole metiri dicunt. Virgil. Lib. I. Georg. ℣. 450.
. . . . . *Emenſo quum jam decedet Olympo.*

e *Protulit uſque meanſ*. Al. *Pertulit*. Barthius: *uſque canens*.

a *Innumerabilibus*. Hanc lectionem debeo Ms. Cod. Vaticano 5134. pag. 3., & genuinam merito eam exiſtimo; nam Lucretius Lib. 1. ℣.635. ait:

In-

Atque eadem celeres etiam diſcriminat horas [a].

Igniferumque caput [b] *ter venerata, ſilet. An-*

Innumerabilibus plagis vexata per aevum. Diverſo tamen ſenſu. Siquidem hic de numero ictuum diſcreto loquitur; Noſter vero de numero ſonoro eſt intelligendus, ut ſenſus ſit: Phoenicis cantum tanta, ac tam celeri vocum variatione conſtare, ut armonicis numeris minime queant comprehendi. Hinc Virgil. VI. Æn. ℣.646. ait:

Obloquitur numeris ſeptem diſcrimina vocum:

Novi ipſe virum, qui Luſciniæ cantum non ſolum ore reddebat; verum etiam notis muſicis conſcripſerat. Al. legunt: *Inarrabilibus*. Al. *Non errabilibus*. Quæ voces ſunt Latinis omnino ignotæ.

a *Celeres diſcriminat horas*. Plin. Lib. X. Cap. XX. de Gallis Gallinaceis loquens ait: *Proxime gloriam ſentiunt ex hi noſtri vigiles nocturni, quos excitandis in opera mortalibus, rumpendoque ſomno natura genuit. Norunt ſydera, & ternas diſtinguunt horas interdiu cantu. Cum ſole eunt cubitum, quartaque Caſtrienſi vigilia ad curas, laboreſque revocant; nec ſolis ortum incautis petitur obrepere, diemque venientem nunciant cantu; ipſum vero cantum plauſu laterum.* Falluntur tamen aliquando, quoties noctu æther extemplo coruſcans fulgurat, ut me docuit experientia; quod indicatis lectionibus aliorum exponendis deſervire poſſet, ſi latinæ eſſent: Propertius Lib. IV. Eleg. III. ℣. 24. de his loquens, lucis authores appellat phraſi elegantiſſima.

Lucis, & authores non dare carmen aves.

Adde

Antiſtes nemorum [c], *& luci veneranda*
ſacerdos [d],
Et ſola arcanis conſcia [e] *Phœbe tuis:*

Adde S. Ambroſium Lib.V. *Examer.* poetica utentem phraſi, quum de hac Galli proprietate loqens ait: *Hoc ipſe Lucifer excitatus exoritur, Cælumque illuminat.*

b *Igniferumque caput.* I.E. *ſolem*: ad Ovidii imitationem, a quo *Currus ſolis*: Axis ignifer dictus eſt. II. *Metam.* ℣. 59. Lucr. Lib. II. ℣. 25. *Lampades igniferæ*, & Lib.V. 499.

. . . . . *Inde Æther ignifer ipſe &c.*

Idem Ovid. *II. Metam.* ℣ 51. de Phoebo loquens ait:

Concutiens illuſtre caput &c.

c *Antiſtes nemorum*: Propter hoc, & ſequens Emiſtichium plurimi putant, Lactantium paganum adhuc fuiſſe quum hocce carmen compoſuit, quoniam primitivi Chriſtiani ab hujuſmodi locutionibus, quæ ethniciſmum redolerent, omnino abſtinuiſſent. Verum, quantum ad Antiſtitis vocabulum, non eſt, ut moremur; ſiquidem nihil aliud ſignificat, niſi *principem*, aliis *præpoſitum*. Unde Catullus Lib.I. VIII. ad Verannium ſcribit:

Veranni, omnibus e meis amicis
Antiſtes mihi millibus trecentis &c.

d *Et luci veneranda Sacerdos*. Potius hoc ethniciſmum indicat; ſed quum de alite dicatur, quæ naſcentis diurni ſyderis augurium præbet, jam Sacerdos nihil aliud indicare debet, quam augurem, qualem quum renunciatum videret Tibullus Meſſalinum Lib.II. Eleg.V. inquit:

Phoe-

Quæ poſtquam vitæ jam mille peregerit annos f,
Ac ſe reddiderint tempora longa gravem,
Ut

Phoebe fave; novus ingreditur tua templa Sacerdos Et Horatius *Lib. III. Carm.* Se *Muſarum Sacerdotem* appellat, quia carmina non prius audita virginibus, pueriſque cantabat. Nec *Tò veneranda* quicquam officit; nam & cani, & amici, & palatia veneranda dicuntur ob quamcumque excellentiam; quoniam teſte Tullio *Lib I. de Nat. Deor.* cap. XLV. *Habet enim venerationem juſtam quicquid excellit*. Adde §. V. Diſſ. XV. Cap. I. Art. I.

e *Arcanis conſcia.* Dativo bene jungitur vox *conſcius*, quæ & genetivo copulatur. Tibul. Lib. I. Eleg. IX. ℣. 41.

O quoties verbis ne quiſquam conſcius eſſet &c.

Pro *arcanis* vero heic intellige anni, ſyderumque converſiones, quæ ab hac alite indicatæ fuiſſe hominibus dicebantur. Hinc Plin. Lib. X. Cap. II. *Itemque*, ait, *hujus alitis vita magni anni converſiones fieri, iterumque ſignificationes tempeſtatum, & Syderum eaſdem reverti*: ex Manilio. Unde Claudianus in fine ſui Carminis de eadem ait:

Vidiſti quodcumque fuit: Te ſæcula teſte
Cuncta reſolvuntur. Noſti quo tempore pontus
Fuderit elatas ſcopulis ſtagnantibus undas,
Quis Phaethonteis erroribus aſſerit annus &c.

f *Mille peregerit annos.* Claud. ubi ſupra ℣. 27.

Namque ubi mille vias longinqua retorſerit æſtas,
Tot fuerint byemes, toties ver curſibus actum &c.

Et quamquam Plin. Lib. X. Cap. II. Phoenicem vivere dixit

Ut reparet laſſum [b] *ſpatiis urgentibus* [c] *ævum*
Aſſueti nemoris dulce cubile fugit [d].

dixit annos *DCVI.* & Ovid. Lib. XV. Metam. p. 568. ℣. 12.

Hæc ubi quinque ſuæ compleverit ſæcula vitæ &c. Attamen Martial. Lib. V. Epig. Noſtri opinionem confirmat, inquiens:

Qualiter Aſſyrios revocant incendia nidos
Una decem quoties ſæcula vixit avis.

Sed quid Aſtronomi? Ariſtarchus Annum magnum, quem Phoenicis vitæ attribuunt, conſtare docet annis vertentibus 2484. Aretes Dyrrachinus 5452. Heraclitus, & Linus 10800. Dion 10984. Macrobius 15000 &c., quæ merito vanis vigilantium ſomnis annumerantur. Vide Diſſ. XV. Cap. I. A. II. §. III.

a *Ac ſe reddiderint*: Barthius ad Claud. pag. 978. mallet *& ſic reddiderint* &c. Sed bene Bunem. noſtram lectionem tuetur ex pluribus authoribus, qui productis bonorum exemplis, *Tò ſe* pro *eam* exponunt uſurparum.

b *Ut reparet laſſum .... ævum*. Sic habent plerique Mſ. Codices, quos vidimus; quaſi diceret gravem ætatem, ſeu ſenectutem, ut expoſuit Bunem. Sed fallitur; nam etſi latinæ *laſſus a um* bene dicatur, & *laſſum ævum* pro ſenectute, ſeu jam ætate gravi, uſurpari poſſe, permitteretur; non tamen author ſibi conſtaret, qui verſu XV. dixit:

Non huc exangues morbi, non ægra ſenectus &c.

Legendum itaque cenſeo cum aliis: *ut reparet lapſum ævum*: Id eſt: *inſtauret*, ac iterum ſibi decurrendum paret vitæ curriculum jam decurſum.

c *Spa-*

Cumque renaſcendi ſtudio loca ſancta e reliquit,
Tunc petit hunc orbem, mors ubi regnanet f. Di-

---

c *Spatiis urgentibus*. Scilicet diebus, menſibus, annis, ſæculis, ac quibuſcumque temporis menſuris, atque intervallis.

d *Dulce cubile fugit*. Quamquam cubile ut plurimum uſpatur pro lecto, quod in eo cubetur; tamen bene ad avium, ferarumque nidos tranfertur ab eodem Tullio Lib. I. *de Nat. Deor.* 129. ubi Cubilia, & Nidos Gallinarum, & avium promiſcue uſurpat alterum pro altero, & Virgil. IV. *Georg.* pro apum alveariis dixit: *rimas cubilia* &c.

e *Loca ſancta*. I. E. *inviolabilia*, ut ℣. 9. de Lucis diximus. Unde Marcianus Capella *de diviſione rerum* loquens: *Sanctum*, inquit, *proprie dicitur, quod ab iguuria hominum defenſum, atque munitum eſt. Tractum a SAGMINIBVS herbis, quas Legati Populi Romani ferre ſolebant, ne quis eos violaret*. Hinc Juvenal. Sac. XIV. ℣. 68.

. . . . . *Vt Sanctam filius omni*
Aſpiciat ſine labe domum, vitioque carentem &c.

f *Mors ubi regna tenet*: Plin. ubi ſupra: *Cornelius*, inquit, *Valerianus Phoenicem devoluiſſe in Aegyptum tradit Q. Plautio, Sex Papinio Coſſ. Allatus eſt & in Vrbem, Claudii Principis cenſura, anno Vrbis DCCC. & in Comitio propoſitus, quod actis teſtatum eſt; ſed quem (intellige Phoeniciem) falſum eſſe, nemo dubitaret*. Sext. Aurelius Victor *in Epitom. cap. IV.* de Claudio Tiberio, Druſi filio loquens ait: *Hujus temporibus viſus eſt apud Aegyptum Phoenix, quem ferunt volucrem anno quingenteſimo ex Arabis memoratos locos* (Al. ex Arabis memoratis locis) *advolare*. a *In*

Dirigit in Syriam [a] *celeres longæva volatus,*
Phœnicis [b] *nomen cui dedit ipſa Venus* [c].
Secretoſque petit deſerta per avia [d] *lucos,*
Hic ubi per ſaltus ſylva remota latet.
Tum legit aerio ſublimem vertice palmam,
Quæ Grajum [a] *Phœnix ex ave nomen habet.*
Quam nec dente nocens animal [b] *perrumpere poſſit,*
Lubricus aut ſerpens, aut avis ulla rapax.

a *In Syriam*; Ex iis, quæ ſequuntur, intellige *Syrophoenicem*, quæ inter montes Libanum, & Antilibanum comprehenſa jacet, olim Veneri illi ſacra, quæ ſecundum Ciceronem Lib. III. *de Nautur. Deor.* Aſtarte vocatur alio nomine: Syria, Cyroque concepta, & Adonidi nupta fuiſſe dicebatur.

b *Phoenicis* Al. *Phoenicia*.

c *Ipſa Venus*. De qua ad Carmen ſuperius diximus. Al. *ipſa vetus*.

d *Deſerta per avia*: Scilicet per deſerta nemora, quæ via carent, nec pedibus adiri poſſunt.

a *Quæ Grajum &c.* Arbor, quæ Latinis *Palma*, Græcis Φοίνιξ dicitur, teſte Suida, qui traditum eſſe, teſtatur, avem Phoenicem, quum fatum ſibi inſtare jam ſenſerit, in Ægyptum venire ex loco hominibus ignoto. Vide Plin. Lib. XIII. Cap. IV., Alii pro *Grajum* habent *gratum*.

b *Quam nec dente nocens animal*: Al. *Et qua nulla nocens animans* Al. *In quam nulla* &c. Servo ſcripturam veterum Codd. Mss. quæ ad eos vermes alludit, de quibus Plinius Lib. XVI. Cap. XLI. loquitur ajens:

Hæc

Quum ventos claudit pendentibus Aeolus antris [e],
Ne violent flabris aera purpureum [f],
Neu

Hæc naſci prohibet in aliis amaritudo, ut cupreſſo, aliis duritia, ut Buxo. Nam ſecundum eundem Scriptorem hujuſmodi qualitates Palmæ conveniunt, quam heic Lactantius deſcribit. Et Plin. verba Lib. XIII. Cap. IV. *una earum arbor in Chora eſſe traditur, una & Syagrorum; mirumque de ea accepimus cum Phoenice ave, quæ putatur ex hujus Palmæ argumento nomen accepiſſe, iterum mori, ac renaſci ex ſe ipſa: Eratque, quum hæc proderem fertilis. Ipſum pomum grande, durum, horridum, & à cæteris generibus diſtans, ſapore ferino, quem ferme in apris novimus; evidentiſſimeque cauſſa eſt nominis.*

c *Lubricus aut ſerpens.* Quamvis de Palma hoc me legiſſe memini; locus tamen nunc non occurrit. De Fraxino quidem certum eſt, quod Plinius narrat Lib. XVI. Cap. XIII. nimirum tantam vim eidem eſſe, *ut ne matutinas quidem, occidentesve umbras, quæ ſunt longiſſimæ ſerpentes arboris ejus attingant; adeo ipſam procul fugant. Experta prodimus: Si fronde ea gyro claudatur ignis & ſerpens, in ignem potius, quam in fraxinum fugere ſerpentem vidimus.*

d *Aut avis ulla rapax:* Puta vultures, & Accipitrum ſpecies plurima, de quibus vide Plin. Lib. X. à cap. VI. & ſequentibus.

e *Pendentibus Aeolus antris*; Virgilius Lib. I. æn. à ℣. 54. de Junone loquens ait:

Nimborum in Patriam, loca fœta furentibus auſtris,
Aeoliam venit. Hic vaſto rex Aeolus antro

Lu-

Neu concreta Noto nubes aper inania cœli[b]
Summoveat radios solis, & obsit avi.

Con-

Luctantes ventos, tempestatesque sonoras
Imperio premit, ac vinclis, & carcere domat.
At elegantissime Lactantius: *pendentibus antris* scilicet Nubes concavæ, quæ per aerem feruntur; quamvis enim plurimæ assignentur à Philosophis ventorum Caussæ, Seneca tamen *Natur. quæst.* Lib.V. Cap.XII. *sunt*, ait, *quædam genera ventorum, quæ ruptæ nubes, & in pronum solutæ, præmittunt* &c. Vide etiam cap. seq. & Antonium le Grand. *Inst. Philos. part.VI. cap. XIV.* Purchot. *Tom III. Phys. part. II. lect. III.* Ubi *de Vento Artificiali* per globum æneum, cui nomen datum est *Æolipila*, effici solito, mentio fit.

f *Aera purpureum*: Sic noster ænig. XXIV. *Aera permedium* vide ibi à nobis annotata. Dicitur autem *purpureum* non solum quia aer matutinus circa auroram sic apparet; sed etiam quia verno tempore, si nubes absint, aer talis apparere solet; Unde Virgil. Ecl. IX. ℣. 40.

Hic ver purpureum.

Cujus caussa est, quia tunc solares radii in aere, vaporibus undique, & exhalantibus, maxima refractione deflectuntur à via, per quam se extendunt. Videmus enim quod color violaceus, purpureo proximior, radios habet maxima reflangibilitate præditos, ut in sua optica experimentis Newtonus ostendit, & in prismate facile deprehenditur.

a *Neu concreta noto nubes*: Ventus iste, quem alii Austrum vocant, nubes glomerare solet ex eo, quod

Conſtruit inde ſibi ſeu nidum, ſive ſepulcrum, c.
Nam perit, ut vivat, ſe tamen ipſa creat d.
Colligit hinc ſuccos, & odores divite ſylva,
Quos legit Aſſyrius, quos opulentus Arabs,
Quos aut Pygmæa gentes a, aut India carpit,
Aut molli generat terra Sabæa b ſinu.

Cin-

---

quod non æqualiter ſpiret; ſed per intervalla: unde Valer. Flacc. *in Argonaut.* Lib. II. à ℣. 5.

. . . . . *Non fluctibus æquis.*
Nubiferi venit unda noti.

b *Per inania Cæli*: ſubintellige *ſpatia*, ſcilicet: *aeris*: Virgil. Eccl. VI. ℣. 31.

. . . . . *Uti magnum per inane coacta*
Semina terrarum, &c.

c *Seu nidum, ſive ſepulchrum*: Ubi enim naſcitur, ibi & moritur, ut infra clarius videbimus. Ovid. Lib. XV. *Metam.* pag. 569. ℣. 4.

Fertque pius cunaſque ſuas, patriumque ſepulchrum.

d *Se tamen ipſa creat*: Id eſt, procreat ex præexiſtentibus quodammodo ſeminibus in medullis ſuis, ut explicant quidam Philoſophi, qui hanc narrationem, ut hiſtoriam propugnant. Lact. verbum *creo* ſæpe in hac ſignificatione, more antiquorum Latinorum uſurpat: E. G. Lib. I. Cap. XI. & *XXII.* Lib. IV. Cap. IV. Epitom. Cap *XXIV.* &c.

Ubi vide, quæ à nobis annotata ſunt.

a *Quos aut Pigmæa Gentes*: Vide *in Sympoſ. ad Ænig.* XXVI. quid de Pigmæis diximus, & Plin. ibidem laudatum.

b *Terra Sabæa*: De hac regione diximus ad Lib. IV. Cap.

Cinnama dehinc, auramque, procul ſpirantis amomi
Congerit, & miſto balſama cum folio.
Non caſiæ mitis, nec olentis vimen acanthi,
Nec thuris lacrymæ, guttaque pinguis abeſt.
His addit teneras nardi pubentis ariſtas,
Et ſociat myrrhæ [a] paſcua grata nimis.

Pro-

IV. Cap. XIII., & heic nota prima ad primum verſum. Virgil. Lib. I. *Georg.* ℣. 56.

India mittit Ebur, Molles ſua Thura Sabæi.

c *Cinnama dehinc, auraque* &c. In Cod. Sagerm. hoc carmen ſic legi teſtatur Langletius:

Cinnamium hic aviſque procul ſpirantis amomi.

Salmaſius autem emendat: *uvamque procul* &c. Sed ſervandam cenſeo vulgatam lectionem; nam corpora odoroſa auras odoratas emittere per translationem eleganter dicuntur:

. . . . . *Vitiantur odoribus auræ*

ut Ovid. cecinit Lib. VII. Metam. pag. 258. ℣. 26. Nec aliter ad organum olphatus odores perveniunt, niſi aere vecti, ſive ex corpuſculis diverſimode figuratis conſtent, ſive ex exhalationibus tenuiſſimi vaporis, ut Philoſophi explicant. Hinc Virgil. Lib. IV. *Georg.* a ℣. 415.

Hæc ait, & liquidum ambroſiæ diffundit odorem;
Quo totum nati corpus perfudit. At illi
Dulcis compoſitis ſpiravit crinibus aura.

a *Et ſociat myrrhæ* &c. Hic verſus diverſimode legitur a quibuſdam; nam Cod. Ms. Sangerman. apud Langletius habet:

Et

Protinus in ſtrato corpus mutabile [b] *nido,*
Vitalique toro [a] *membra quieta locat.*
Ore dehinc ſuccos membris circumque, ſupraque
Injicit, exequiis immoritura ſuis.
Tunc inter varios [b] *animam commendat odores:*
Depoſiti tanti nec timet illa fidem.

In-

Et ſociam myrrhæ vim Banachæa tuam
Gallæi, & Lipſiani Codd. *vim Panatbea tuam.*

b *Corpus mutabile*: Al. *motabile.*

a *Vitalique toro.* Al. *In talique.* Al. *vitalique rogo.*

b *Tunc inter varios* &c. Barthiſus ad Claud. pag. 989. *Ego*, inquit, *emaculem*:

Tunc Mithræ in varios &c. Intelligendo *ſolem* pro *Mithra*: At cum Bunem. equidem puto lectionem noſtram hac emaculatione non indigere, ſiquidem *animam commendare* eſt heic illam fortem, ac vegetam reddere odoribus, ſicut de vino dixit Horat. Lib. I. Epiſt. XV à ℣. 18.

Ad marequum veni: generoſum, & bene requiro,
Quod curas abigat, quod cum ſpe divite manet
In venas, animumque merum, quod verba miniſtret,
Quod me Lucanæ juvenem commendet amicæ.

Et Ovidius Lib. XV. *Metam.* hæc omnia ſic deſcribit poſt carmen ſupra laudatum;

Ilicis in ramis, tremulæque cacumina palmæ
Unguibus, & pando nidum ſibi conſtruit ore,
Quo ſimul ac caſias, & nardi lenis ariſtas,

Quaſ-

Interea corpus genitali morte peremptum
Aeſtuat, & flammas parturit ipſe calor [a].
Aerioque procul de lumine concipit ignem,
Flagrat, & ambuſtum [b] *ſolvitur in cinerem.*

Hos

Quaſſaque cum fulva ſubſtravit cinnama Myrrha,
Se ſuper imponit, finitque in odoribus ævum.

a *Et flammas parturit ipſe calor*: Langletius hanc notam audidit: *Verum non eſt, corpus mortuum ita æſtuare, ut flammam generet. Melius itaque Claudianus, qui flammam ad ſolis radios refert.* Sed ultraquam quod Lactantius ſtatim ſubdit: Aerioque procul de lumine concipit ignem &c. etiam Philoſophice, ac rectiſſime dixit non quod ei affingit Langletius: Cadaver nimirum generare flammas; ſed calorem in cadavere receptum, illas parturire; quum enim calor intenditur, ac pervadit corpus Phœnicis, odoribus delibutum, ac lignis, foliiſque calidiſſimis ſtipatum, igniculis latentibus iter pandit, quibus una flagrant omnia, ac in cinerem reducuntur. Eo prorſus modo, quo fœnum coacervatum interdum ignem concipit, ſi antequam aridum fiat, concaleſcat. Claudianus autem metaphora utitur quum dicit: ſolem mittere unum è ſuis flavis crinibus, quo volentem Phœnicem ferit vitali fulgore. Quinimo & id idem concludit, quod Noſter; ſubdit enim ℣. 59.

Fervet odoratus telis cæleſtibus agger;
Conſumitque ſenem &c.

Quid per hæc innuit Claudianus, niſi quod concepto calore, nidus æſtuat, quo Pœnix conſumitur?

b *Et ambuſtum*. Al. *& effectum*. Barthius *& anguſtum*: Sed intellige *corpus ambuſtum* &c.

c *Hos*

Hos velut in maſſam[c] *cineres in morte coactos*
Conflat[a], *& effectum ſeminis inſtar habet.*
Hinc animal primum ſine membris[b] *fertur oriri:*
Sed fertur vermi[c] *lacteus eſſe color.*

Se-

---

c *Hos velut in maſſam* : Al. *quos velut*. Al. *Hæc velut*.

a *Conflat* : Qui legunt *Hæc* in ſuperiori verſu, pro *conflat* habent *conflat* quaſi ſenſus eſſet ; *Hæc*, ſcilicet Phœnix, *conflat in cineres coactos, vel uti in maſſam*:Sed nec conſtructio bona eſt,nec Noſter fœminino generi Phœnicem aliquando accenſuit. Potius ergo intelligas, eundem calorem, cineres conflare, & id, quod ex illis cineribus, ſic conflatis remanet, rationem ſeminis habere. In qua aſſertione ſumma Lactantii latet eruditio philoſophica.

b *Animal ſine membris*. Embryon intellige.

c *Vermi* : Scite Embryon, vermem vocat Lactantius ; traditum enim eſſe, teſtatur Plin. Lib.X. Cap.II. de hoc alite loquens ; *ex oſſibus, deinde e medullis ejus naſci primo vermiculum; inde fieri pullum.* Simile quid è cadaveribus humanis, & præcipue ex ea, quam ſpinalem medullam appellant, effici quidam dixerunt apud Aelian. *Lib.I. de Nat. Anim Cap.LI.* Unde Ovid. *Lib. XV. Metam. pag.* 168. a ℣. 6. ait.

Sunt qui quum clauſo putrefacta eſt ſpina Sepulcro,
Mutari credunt humanas angue medullas ;
Sed ſcite ſubdit :
Hæc tamen ex aliis ducunt primordia rebus.

Nempe ex ſeminibus ibidem deciſis ab animalibus ex in-

Creſcit in immenſum [d] *ſubito quum tempore certo,*
Seque ovi teretis [e] *colligit in ſpeciem.*
Inde reformatur, qualis fuit ante figura,
Et Phœnix ruptis pullulat exuviis.
Ac velut agreſtes, quum filo ad ſaxa tenentur,
Mutari tineæ [a] *papilione ſolent.*

Mu-

---

inſectorum genere, quæ terram circa ſepulchra effodiendo illuc irrepunt, ubi ſpinæ cavitatem nacta ibidem per hyemes deliteſcunt, ſuaque ſemina fovent, e quibus vermem erumpunt ejuſdem ſpeciei, quos vulgus putat ex humanis medullis eſſe procreatos. Certum quippe eſt, Bombices, plurimique id generis vermes ex ſemine naſci, & adoleſcere, atque tandem in papilionem mutari. Unde Ovid. *Metam.* XV. ℣. 374.

. . . *Ferali mutant cum pampilione figuram.*

d *Creſcit in immenſum* &c. Al. *creverit immenſum*. Al. *crevit in immenſum*. Al. *crevit immenſum*. Servo lectionem duorum antiquorum Codd. Mss., quæ mihi germana videtur, & Lactantio congruentior, qui *creſcere in immenſum*, non ſemel dixit, ut hoc notavit Bunem.

e *Seque ovi teretis* &c. Nota, quod non dicit in Ovum; ſed *in Ovi ſpeciem*; ſicuti de tineis agreſtibus canit Ovid. *Lib. XV. Metam.* pag. 567. a ℣. 8.

Quæque ſolent canis frondes intexere filis
Agreſtes tineæ [*res obſervata colonis*]
Feralı mutant cum papilione figuram &c.

In Bombyce autem domeſtico, quem apud nos vocant *Cavaliere*, *Baco*, *verme da Seta* hæc manifeſta apparent; unde Noſter ſtatim ſubdit: a *Mu-*

Non illi cibus [b] *eſt noſtro conceſſus in orbe,*
Nec cuiquam implumen paſcere cura ſubeſt.
Ambroſios libat [a] *cœleſti nectare rores,*
Stellifero teneri qui cecidere polo.
Hos legit, bis ſex ediis alitur, in odoribus ales
Donec maturam proferat effigiem [b].

Aſt

---

a *Mutari tineæ*. Alludit Poeta ad Laudata Ovidii carmina: Ideoque ſcite Covarruvias monuit Thomaſſium, ita legendum eſſe, quum ille in codice ſuo haberet. *Mutari pennæ*. Quod autem Thomaſſius de ſuo addidit in verſu, ſcilicet ſuperiori pro *ſaxa*, malle ſe, *taxa* legere, mihi non probatur; nam tineæ non ſolum in arboribus, ſed etiam in ſaxis, præcipue in parietinis fila ſua ſoleant intexere, nec Taxa ubique reperiuntur; quamvis ubique reperiantur tineæ.

b *Non illi cibus*. Claudian. ℣. 13. *De Phoen.*

Non epulis ſaturare famem, non fontibus ullis
Aſſuetus prohibere ſitim.

a *Ambroſios libat*. Ovidius Lib. XV. Metam. pag. 568. ℣. 10.

. . . . . *Non fruge, neque herbis;*
Sed Thuris lacrymis, & ſucco vivit amomi.

Claudianus vero, ubi ſupra.

. . . . . *Sed purior illum*
Solis fervor alit, ventoſaque pabula libat,
Tethyos innocui carpens alimenta vaporis,

b *Maturam proferat effigiem*. I. E. *perfecti alitis formam*. Al. *maturam perferat*.

Aſt ubi [a] *primæva cœpit florere juventa,*
Evolat ad primas [b] *jam reditura domos.*
Ante tamen [c], *proprio quicquid de corpore reſtat,*
Oſſaque, vel cineres, exuviaſque ſuas,
Unguine balſameo, myrrhaque, & thure ſoluto
Condit, & in formam conglobat ore pio.

O *Quam*

---

a *Aſt ubi* &c. Al. *Ac ubi*. Neutram lectionem probat Bunemannus, qui inſuper annotat: *Neque. AC ante vocalem, neque AST ponunt cultiores. Hinc mallem ut v.* 43. *Atque ubi*; Sed cultiſſimus Virgilius ſæpe *Aſt* adhibuit ante vocalem: E. G. Æn. I. ℣. 50. *Aſt ego*. Ibid. ℣. 120.... *Aſt illam*. Æn. II. ℣. 167. *Aſt illi* 111. ℣. 330. *Aſt illum*. ℣. 410. *Aſt ubi* &c. Ne aliorum exemplis lectoribus faſtidium crem.

b *Evolat ad primas*. Al. *ad patrias*.

c *Ante tamen* &c. Claudianus à ℣. 72. ubi ſupra.

Protinus ad Nilum manes ſacrare paternos,
Authoremque globum Phariæ telluris ad oras
Ferre juvat. Velox alienum pergit in orbem.
Portans gramineo clauſum velamine funus;

Sed longe elegantius hæc ab Ovidio deſcribuntur XV. metam. p. 569. ℣. 2. inquiens:

Quum dedit huic ætas vires, onerique ferendo eſt,
Ponderibus nidi ramos levat arboris altæ,
Fertque pius cunaſque ſuas, patriumque Sepulchrum;
Perque leves auras Hyperionis urbe potitus,

Ante

Quam pedibus geſtans [a] *contendit ſolis ad ortus* [b],
Inque ara reſidens, ponit in æde ſacra.
Mirandam ſeſe præſtat, præbetque videnti,
Tantus ibi decor eſt, tantus abundat honor.
Principio color eſt, qualis ſub ſydere cæli [a],
Mitia quem croceo punica grana legunt.
Qua-

Ante fores ſacras Hyperionis æde reponit.
Adde Herodotum *in Heuterpe* p. 164. Tacit. *in an. Lib. VI.* ſeg. 28. &c.

a *Quam pedibus geſtans* &c. Vide Diſſ. noſtram XV. Cap. I. A. II. §. VIII. & Salmas ad Lib. VI. *Annal. Taciti Cap. XXVIII.*

b *Solis ad ortus*: Is. Voſſius: *ad urbem* vide infra ℣. 159.

a *Qualis ſub ſydere cæli*: *Quid eſt*, inquit *Barthius pag.* 980. *QUALIS SUB STDERE CAELI? Nemo hæc intellexit hactenus: ſcribe:*

Principio color eſt qualis ſub ſydere; Cæli
Mitia, quem in croceo punica grana legunt.

Heins. vero ad Ovid. Metam. *X.* ℣. 736. pro *Tò ſub ſydere cæli*: legit: *ſub cortice lævi*. Sed ſine Codd. authoritate nihil mutandum ex arbitrio. Senſus autem hujus emiſtichii, & ſequentis verſus planus eſt, Si ita conſtruatur. Phœnicis color talis eſt, qualis eſt color Cæli ſub ſydere; quem colorem grana punica mitia legunt colore croceo. Nam ſi bene advertis, aer ille, qui proximior eſt, ſive ſoli, ſive ſyderibus, nullum

Qualis ineſt foliis, quæ fert agreſte papaver,
Quod pandens veſtit [b] *ſole rubente polus.*
Hoc humeri, pectuſque decens velamine fulgent,
Hoc caput, hoc cervix, ſummaque terga nitent.

O 2 Cau-

---

nullum præſefert determinatum colorem, ſed mixtum ex flavo purpureo, alboque, luce quadam mirabiliter coruſcantem. Nos dicimus *cangiante*; nam ictu oculi ita mutari ſolet, ut numquam idem eſſe videatur. Quemadmodum eſt color granorum punicorum quum mitia ſunt, & valde matura, cujus ſignum eſt cortex croceus magis intus quàm extra, à quo colorem illum legere, ſeu delibare, utpote humore pellucido plena apparent; nam ſi ea extrahas à cortice, ac ſepares ab illis membranis, quibus interſecantur grana, jam diverſum induunt colorem, quem fortaſſe nobis deſcribere voluit Lucretius Lib. VI. à ℣. 198. quum ait:

Hac etiam fit, uti de cauſſa mobilis ille
Devolet in terram liquidi color aureus ignis
Semina quod nubes ipſas permulta neceſſe eſt
Ignis habere; etenim quum ſunt humore ſine ullo
Flammeus eſt plerumque color, & ſplendidus ollis.

a *Quod pandens veſtit ſole rubente Polus.*
Verſus iſte valde variat tam in Mss., quam in libris editis, Al. enim legunt:
Cum pandit veſtes flore rubente Polo.
Al. *Cum pendens veſtit ſole rubente Polus.*
Al. *Cum*

Caudaque porrigitur fulvo diſtincta metallo,
In cujus maculis purpura miſta rubet.
Clarum inter pennas inſigne eſt deſuper, Iris
Pingere ceu nubem deſuper alta ſolet [a].

Al-

Al. *Cum legerem veſtit ſole rubente Polus.*
Al. *Cum pandit veſtes Flora rubente Polo.*

Eligo lectionem magis obviam, & quæ Superioribus maxime congruit; nam agreſte papaver quum jam multo ſole fuerit incoctus, folia omnia pandit, adeo rarefracta, & ſucco pene omni exhauſta, ut veluti diaphana, colori ſibi reliquo omnem alium admiſceant, qui illi ſit obvius; unde fit, quod papavera quædam circa meridiem ſint quaſi alba, quædam violacea, nonnulla crocea, &c.

Omnia tamen quodammodo refulgentia:
Hinc egregie ſubdit Lactant.
Hoc humeri &c. *fulgens . . . nitent.*

Et Claudianus hoc idem innuit a ℣. 18.

Arcanum radiant oculi jubar, igneus ora
Cingit honos: rutilo cognatum vertice Sydus
Attollit criſtatus apex, tenebraſque ferana
Luce Secat.

a *Fulvo diſtincta metallo.* Al. *Fulvo diſtenta metallo.* Plin. Lib. X. Cap. *II. Cæruleam roſeis caudam pennis diſtinguentibus.*

b *Clarum . . . inſigne eſt deſuper.* Scilicet in ſuperiori extrema pennarum parte ſigna quædam lucida, quæ quum pennæ junguntur Iridem efformant; unde ſequitur. *Iris* &c.

a *Pingere, ceu nubem deſuper alta ſolet*: In inſti-

tu-

tutionibus Philoſophiæ Newtonianæ G.I. Graveſandius part. II. Cap. XIX. Iridis deſcriptionem vidimus, per ſeparationem partim, partim per reflexionem colorum explicatam, ſecundum opticum ſyſtema illius authoris. Edmundus Purcotius idem præſtitit *Tom. III. Par. II. Sect. III.*, Et Natalis de Comitib. Myth. Lib. VIII.; Non tamen puto eorum doctrinas aptas eſſe ad explicandum heic, quod innuit Lactantius: quamvis enim Iris illa, quantum ad imaginem, iſtam aſſimilare videatur; tamen in cæteris diverſiſſima eſt, ut apparet circa collum Columbarum, quæ nondum alicubi conſederint poſt tranſitum ab una in aliam regionem. Tunc enim, ſive ex celeri alarum motu, ſive ex vaporibus per aerem collectis, in humeris illarum, circulus, ceu monile quoddam diverſis coloribus diſtinctum, conſpicitur; quod tamen modico temporis intervallo deperdunt, nec amplius eodem decore fulgent, niſi novo ſeſe agitent longiori volatu. Et hinc falſum eſſe apparet, quod aſſeruit Lucretius (Lib. II. ℣. 800.) & nunc offendere conantur Newtoniani ex eo, quod quidam colores mutentur, ſi primum recta, & poſtmodum obliqua ferantur luce: E. G.

Pluma columbarum quo pacto in ſole videtur;
Quæ ſita cervices circum, collumque coronat:
Namque alias fit, uti rubro ſit clara Pyropo:
Interdum quodam ſenſu fit, uti videatur
Inter Cæruleum virides miſcere Smaragdos.

Nam venatores circulo illo viſo, ſtatim cognoſcunt, nuper eas adventaſſe, quoniam ea quæ aliquandiu antea advenerant, eodem omnino carent, ut centies experti ſumus, ſervando, & mutando lucis, ac plu-


image
not
available

Aequatur toto capiti [c] *radiata corona,*
Phœbæi referens verticis alta decus.
Crura tegunt ſquamæ [a] *flavo diſtincta metallo* [b].
Aſt ungues roſeus [c] *pingit honore color.*

Ingentes oculi, credas geminoſque hyacinthos.

c *Aequatur toto capiti* &c. Vide Claudiani verſus paullo ſupra ad ℣. 128. recitatos.

a *Crura tegunt ſquamæ*: Barthius maculam heic ineſſe ſuſpicatur; ait enim; *Dicendum erat ante omnia quales ſquamæ: Quum harum calor alioquin ſit turpis, & niſi ſingularis, dedecoret omnem figuram. Legendum dicam: BIS TINCTÆ: Saturata nimirum puniceo calore.* Sed cave ne aliquid mutes; ſic enim habent omnes Ms. Codices, ſic libri omnes impreſſi. Nec te moveat quod Barrhius dicit, ſquamas nempe turpem præſeferre, niſi aliquem addas ſingularem colorem; Nam Virgilius Lactantium protegit. *VIII. æn.* ℣. 436. ubi ait:

Aegidaque horriferam turbatæ Palladis arma
Certatim Squamis Serpentum, auroque polibant.

Et Lib. IX. ℣. 707.

Nec duplici Squama lorica fidelis, & auro &c.

b *Flavo diſtincta metallo*. Al. *Fulvo* Ex Superiori emiſtichio ℣. 131. heic translatum. Adjectivum utrumque eſt auro conveniens. Claud. ℣. 21..... Tyrio pinguntur crura Veneno. In Ms. Codice Ottoboniano hocce emiſtichium omnino deerat, & in duobus vaticanis eſt abraſum.

c *Aſt ungues roſeus*: Al. *roſeo*.

d *In-*

Effigies inter Pavonis [d] *mista figuram*
Cernitur, & mistam Phasidis [e] *inter avem.*

Ma-

---

d *Inter Pavonis*: . . *Et Phasidis* . . . *Avem*: Plinius Lib.X.cap.48. *Aquilæ*, ait, *narratur magnitudine*: Et Herodot. in *EVTERPE*: *Maxima ex parte cum habitu, tum magnitudine simillimus aquilæ.*

e *Phasidis*: Id est: *Phasianæ*, de cujus specie Plin. Lib.X. Cap.XLVIII., & Lib. XI. Cap. XXXVII. loquens ait: *In capite paucis animalium, nec nisi volucribus, apices, diversi quidem generis. Phœnici plumarum serie, medio eo exeunte alio. Pavonibus crinitis arbusculis: Stymphalidæ citro.; Phasianæ corniculis.* &c. De eis nutriendis, ac apud nos domestice multiplicandis, vide Pallad. *Lib. I. Titul. XXIX. de RR.* Argonautæ ex Phasíde, Colchidis fluvio, eas primi ad nos advexisse dicuntur; unde apud Martialem Lib.XIII. Epig.*69.* inducitur canens:

Argiva primum sum transportata carina,
Ante mihi notum nil, nisi Phasis, erat.

a *Magnitiem*: Sic Mss. Codd. omnes habent; & typis editi libri, quamquam vocabulum est prorsus ignotum. Heinsius per conjecturam tentavit novam lectionem inducere: *Molem etiam*; Sed minus congrue; nam sensus verborum nomen postulat animantis promiscui generis, feras inter terrestres, & aligeras ambigui. Barthii opinio est, quod; *Magnitiem Magnitudinem dixerit, ut minuties in usu aliis.* Puta apud Apulejum, Arnobium, nostrumque Lactantium, qui Lib. II. Cap. IV. seq.12. ea voce usus est, & Nicolai

Pe-

Magniciem [a], *terris Arabum quæ* [b] *gignitur ales,*
Vix æquare poteſt, ſeu fera [c], *ſeu ſit avis.*

Non

Perotti, Epiſcopi Sypontini, ac Grammatici clariſſimi verbis nos eam expoſuimus; Sed eadem ratio obſtat, niſi dicatur, animal aliquod ob corporis magnitudinem ita eſſe appellatum; ſicuti ſi quis Tetraonem avem Romæ aliquando, teſte Suetonio *in Calig.*, in deliciis habitam, *nigritiem* appellaret ex eo, quod Plin. Lib. IX. Cap. XXII. dixerit: *Decet Tetraones ſuus nitor, abſolutaque Nigritia.* Et tunc locum habere poſſet altera Barthii conjectura, qua hocce animal Struthiocamelum eſſe, arbitratus eſt. Siquidem inter alites maximam eam aſſerunt Aelianus Lib. *IX. de Nat. Anim.* Cap. LVIII., & Plinius ubi ſupra, qui & addit de Tetraonibus loquens: *Alterum eorum genus vulturum magnitudinem excedit, quorum & colorem reddit: nec ulla ales, excepto Struthiocamelo, majus corpore implens pondus, in tantum aucta, ut in terra quoque immobilis prehendatur.* Infra de hac Barthii conjectura alia dicemus.

b *Terris Arabum, quæ* &c. Idem Barthius mallet: *Terris Afrum*; quoniam in Africa Strutiocameli naſcuntur, quos feras, & aves dicere poſſis; ſed quum Arabia Africæ in non modica parte ſit contermina, etiam intacta Ms. fide, conjectura obtinere poſſet, ſi adminiculis fulciretur.

c *Seu fera, ſeu ſit avis.* Aelian. Lib. II. C. XXVII. de Struthione loquens ait: *Alis penna frequentioribus*

in-

Non tamen eſt tarda [d], *ut volucres, quæ*
corpore magno [e]
Inceſſus pigros pergrave pondus habent,
Sed levis, & velox [f], *regali plena decore,*
Talis in aſpectu ſe exhibet uſque hominum.
Con-

---

inſtructus eſt; non tamen fert ejus natura, ut in ſublime eollatur; ſed currit citiſſime, & ab utroque latere alas explicat, quas ventus, velorum inſtar, expandit; volare autem neſcit.

d *Non tamen eſt tarda*: Al. *non tamen eſt parva*. Omnino prave, ut ea, quæ ſequuntur, demonſtrant. Congruunt autem omnia Stutionibus; idem quippe Aelianus ubi ſupra Lib. IV. Cap. XXXVII. de iiſdem ait: *Quod ſi quis eam inſectetur, volando effugere nequit, ſed duntaxat, explicatis alis, greſſu ipſo effugere aggreditur: proprior facta, ut capiatur, obvias lapides retro verſus ſic pedibus, tamquam funda jaculatur*. Ante annos ab hinc XX. hocce animal in hortis Pontificiis ſaxa plurima jacere vidimus etiam in obvios, ſibique innocuos.

e *Ut volucres, quæ corpore magno* &c. Hæc, & quæ ſequuntur Tetraonibus optime quadrant, ut Plinius nos docuit ℣. 145.

f *Sed levis, & velox*. Claud. ℣. 22.

Antevolant Zephyros pennæ, quas Cærulus ambit
Flore color &c.

a *Convenit Aegyptus* &c. Teſtem hac de re dedimus Herodotum Diſſ. XV. Cap. I. §. I., & plurimos addere poſſemus, quos tamen ibidem indicavimus Art. II. §. III. ſeqq. Aelianus vero *Lib. VI. de Nat. Anim. Cap. LVIII.* præcipue videtur conſulendus.

b *Pro-*

Convenit Ægyptus [a] *tanti ad miracula visus,*
Et raram volucrem turba salutat ovans.
Protinus insculpunt [b] *sacrato in marmore formam,*
Et signant titulo [c] *remque, diemque novo.*
Con-

---

b *Protinus insculpunt*. Sic. Mss. Codd. plurimi. Al. *exculpunt*; Al. *excalpunt*. Al. *inscalpunt*. Nostra lectio cæteris elegantior, Horatio, & Ovidio usitata.

c *Et signant titulo* &c. Tacitus Lib. VI. an. sect. 28. *De numero annorum varia traduntur; maxime vulgatum, quingentorum spatium. Sunt qui adversentur mille quadringentos sexaginta unum interjici; prioresque aliter. Sesostride primum, post Amaside dominantibus, dein Ptolomæo, qui ex Macedonibus tertius regnavit, in civitatem, cui Heliopolis nomen, advoluisse* &c.... *Unde nonnulli falsum hunc Phœnicem, neque Arabum è terris credidere, nihilque usurpaviſſe ex his, quæ vetus memoria firmat*. Intellige de tertio memorato Phœnice; nam de aliis duobus *vetus memoria* extabat Taciti temporibus, & quidem in marmoribus Aegyptiis, ad quæ Lactantius heic respicit. Mos quippe illis erat quolibet anno milleſimo quadringenteſimo Sexageſimoprimo annum magnum canicularem celebrare, ea die qua Canicula oritur, à quo hunc annum auſpicabantur; & quum Symbolis pro characteribus uterentur, hunc annum Imagine Phœnicis deſignare conſueverunt. Hinc fortaſſe fabularum origo, & annorum varietas de qua jam diximus ad ℣. 59. Adde Senec. ad Epiſt. XLII. *Phœnix ſemel anno quingenteſimo naſcitur*. Philoſtr. Lib. III. *de Vita*

Contrahit in cœtum ſeſe genus omne volantum,
Nec prædæ memor [b] *eſt ulla, nec ulla metus.*
Alituum [c] *ſtipata choro volat illa per altum,*
Turbaque proſequitur [d] *munere læta pio* [e]
Sed

Vita Ap. Annos DC. vixit Phœnix. Mela. ; Lib. III. Solin. Cap. XLVI. Alioſque Diſſ. XV. jam laudatos.

a *Genus omne volantum.* Claud. ℣. 75.
Innumeræ comitantur aves ; ſtipatque volantem
Alituum ſuſpenſa cohors : &c.
Et Tacitus ubi ſupra : *In civitatem, cui Heliopolis nomen, advolaviſſe, multo cæterarum volucrum comitatu, novam faciem mirantium.*

b *Nec prædæ memor.* Claud. ℣. 80.

c *Alituum* Pro *Alitum.* Sic Lucret. & Virgil. Vide Servium ad VIII. Æn. ℣. 27.

d *Turbaque proſequitur.* Claud. ℣. 78.
Nec quiſquam tantis è millibus obvius audet,
Ire duci ; ſed regis iter flagrantis adorant.

e *Munere læta pio :* Heinſ. legendum putat. *Murmure.* Sed non ex Codd. Ms., neque ex vulgatis.

f *Puri pervenit ad ætheris auras.* Hinc forte locus ille, de quo Noſter ℣. 121. dixit : *Contendit ſolis ad ortus,*
Inque ara reſidens ponit in æde ſacra
Nam nulli, quem viderim Paganorum id veroſimile viſum aliquando fuit. Ideoque Herodotus dixit ubi ſupra : *Eum ajunt (quod mihi non fit veriſimile) hoc*

ex-

Sed poſtquam puri pervenit ad ætheris auras [f],
Mox redit iſta [a], *ſuis conditur ille locis* [b].
Hæc fortunatæ ſortis, fatique volucris [c],
Cui de ſe naſci præſtitit ipſe Deus;
Fœmina [d] *ſit, vel mas, ſeu neutrum, ſeu ſit utrumque*
Felix, quæ Veneris fœdera nulla colit.
Mors

---

excogitare: ex Arabia proficiſcentem in Templum ſolis geſtare Patrem myrrha obvolutum, & in eo templo humare. Tacitus Lib. VI. *Ann.* ſect. 28. *Hæc incerta, & fabuloſis aucta.* Plinius Lib. VII. Cap. XLVIII. *Et reliqua fabuloſius in Phœnice.* Qui itaque fabulas narrationi inſertas probe diſcernunt, verum latens inveſtigandum eſſe ſub illis quodammodo oſtendunt: ſicuti in Diſſ. XV. Cap. I. Art. II. nos facere conati ſumus.

a *Mox redit iſta*: Scilicet Alitum turba, quæ Phœnicis volatum ſequi non potuit. Al. legunt. *Mox redit illa.*

b *Suis conditur illa locis*: Nempe Phœnix, Al. *ſuis conditur inde locis.* Quaſi de eadem alite ſemper in hoc verſu loquatur.

c *Hæc fortunatæ ſortis, fatiquæ volucris* &c. Scilicet *Hæc Volucris, ſortis fortunatæ, & fati, cui Deus ipſe præſtitit naſci de ſe: Fœmina vel mas, vel neutrum, vel utrumque* ſit, parum ſcire refert: in hoc certe felix, quod veneris fœdera nulla colit. Al. hæc vel confundunt, vel perperam deformant, legendo:

Hæc

Mors illi [a] *Venus eſt, ſola eſt in morte voluptas,*
Ut poſſit naſci, hæc appetit ante mori [b].
Ipſa ſibi proles, [c] *ſuus eſt pater, & ſuus hæres,*
Nutrix ipſa ſui, ſemper alumna ſibi,
Ipſa

Hæc fortunatæ ſortis, filiique volucris.

d *Fœmina, vel Mas &c.* Etiam verſus iſte varie legitur: Al. enim habent:

Fœmina vel Mas hæc, vel neutrum ſit, mage felix!

Fœmina ſit maſculum hæc, ſeu forteque neutrum.

a *Mors illi venus eſt.* Venus heic pro generatione ſumitur: *Quam dixiſſe magis decet*, ut ait Quintil. *Lib. VIII. Inſt. Orat. Cap. VI.*

b *Hæc appetit ante mori.* Heinſ., & Bunem.: legunt: *adpetit uſque mori*. Omiſſa priori particula.

c *Ipſa ſibi proles*: Explicari hoc debet, per id, quod innuitur ℣. 162.

a *Ipſa quidem, ſed non eadem.* Sapientiſſimum effarum hocce neceſſarium eſt, ut ratio diſcriminis habeatur, quod inter hominum, & Phœnicis anaſtaſim intercedit; Nam ſi ales iſta ex cineribus vere ad vitam revocaretur, non eadem eſſet numero; ſed ſola ſpecie, ut philoſophi loquuntur: Tota quippe, & totaliter hæc perit; Non ita nos, in quorum morte anima ita a corpore ſepatur, ut tandem eidem ipſi aliquando ſit copulanda. Vide Lactantii doctrinam, quam dat Lib. VII. Cap. XXIII. ſeq. 1. & 5.

b *Ae-*

Ipſa quidem, ſed non eadem [a], *quia & ipſa, nec ipſa eſt*
Aeternam vitam [b] *mortis adepta bono.*

b *Aeternam vitam*. Modus dicendi pro tempore diutino: eo nimirum ſenſu, quo Ovidius *Lib. III. Triſt. Eleg.* I. ℣. 45. ait:

Vtque vivet ſemper laurus; nec fronde caduca
Carpitur, aeternum ſic habet illa decus.

Carmen de Phoenice explicit.

DE

DE PASSIONE
D. N. JESU CHRISTI
CARMEN
L. C. FIRMIANO LACTANTIO
JURE VINDICATUM.

Quisquis ades, [a] *mediique* [b] *subis in limina templi*
Siste parum, [c] *insontemque tuo pro crimine passum*
Respice me [d] *me conde animo, me in pectore serva* [e]

---

a *Quisquis ades*: Sic Christus Dominus Crici affixus hominem quemcumque alloqui videtur, quum pro omnibus patibulum illud sponte subierit; nec aliquis aliquando fuerit, aut futurus sit homo, qui salutem suam illi non debeat acceptam, vel ob ejus merita non speret, fore ut assequatur, aut consequi possit, si velit. Hoc eodem princio usus est Tibullus in Ambarvalis Sacrificii descriptione Lib. II. *Eleg.* I. ℣. 1. ubi etsi Al. legunt: *Quisquis adest*, *faveat*: Janus tamen Dausa Fil. *Malim*, inquit. *Quisquis ades*, *fave*. Et idem poeta Lib. eodem *Eleg. II.* ℣. 2. ait:

Quisquis ades, lingua vir, mulierque fave

Noster vero Virgilium heic de more respexisse videtur,

tur, quum Venerem ſic filium ſuum Aeneam ellocutam fuiſſe, fingit Aen. I. ℣. 400.

Quiſquis eſ . . . . . .
. . . . . Tyriam qui adveneris urbem.
Perge modo, atque hinc te reginæ ad limina perfer &c.

b *Mediique* &c. Ut hæc facile queas intelligere, vide antiquiſſimæ S. Clementis Papæ I. Eccleſiæ Ichnographiam, quam Diſſ. XXXV. Cap. III. §. VI. & Cap. IV. §. IV. dedimus, atque per partes expoſuimus, uti polliciti ſumus diſſ XV. Cap. II. §. VII. Temporibus enim illis, in quibus hæc a Lactantio ſcribebantur, vigebat adhuc Arcani diſciplina, ob quam non omnibus datum erat in ſacras Chriſtianorum ædes indiſcriminatim introire; ſed ſingulis ſecundum gradum, quem obtinebant, locus conſtituebatur debitus. Hinc quum adſtantem Chriſtus alloquatur, jam ad eum verba dirigere noſcitur, qui inter *conſiſtentes* erat receptus, & Crucifixi imaginem, in Altaris medio erectam, libere poterant aſpicere; nec ſine ratione *Ades* pro *Adſtas* uſurpatur, quoniam ii, qui in hoc ordine conſtituti erant, non ſolum integro ſacrificio adeſſe poterat; verum etiam erecto orabant corpore, ut ſuo loco oſtendimus.

c *Subis in limina templi*. Verbum *ſubeo*, quamquam ſæpe ſæpius accuſativo jungatur; poetæ tamen præpoſitionem *in* interdum addunt: Sic Ovidius Lib. I. *Metam.* ℣. 130.

. . . . fugere pudor, verumque, fideſque,
In quorum ſubiere locum fraudeſque, dolique.

Limina autem templi in triplici acceptione a ſacris Vatibus uſurpari conſueverunt. I. pro ipſa æde ſacra,

tamquam pars pro toto: ſic S. Paulinus Nolan. *Nat. III. S. Felic.* ℣. 83.

Una dies cunctos vocat, una & Nola receptat,
Totaque plena ſuis, ſpatioſaque limina cunctis &c.

II. pro ipſis Eccleſiarum foribus, ſeu poſtibus, quo peregrini, ac pii fideles conſiſtebant, quum ædem ipſam ſubire vererentur. Sic idem Paulin. *Nat. VI.* 2 ℣. 441.

. . . . *Ille autem, qui tanti muneris alto*
Cauſſa fuit Domino, mediis in liminibus ſtans &c.
Vota refert &c. *profuſus*.

Prudentius *in S. Laurent. Hymno II. Periſteph.*

Ipſa Senatus Lumina,
Quondam Luperci, & Flamines.
Apoſtolorum, & Martyrum
Exoſculantur limina.

& Arator *Lib. II. Hiſt. Apoſtol.*

. . . . . *Tota concurritur urbe;*
Qui primus nova tecta petat, quive oſcula figat
Poſtibus, & tacta ſacretur parte Cylindri.

Tertio tandem *limina* dicebantur loca illa, quæ unice aditum dabant ſepta ſubeuntibus ipſius *ſolii*, ſeu *confeſſionis*, aut Martyris Sepulcri ſub abſida prope Altare; unde idem Paulin. Natal. IX. ℣. 373.

. . . . . *Aperta per arcus*
Lucida frons bifores perfunderet intima largo
Lumine, conſpicui ad faciem converſa ſepulcri,
Quo tegitur poſito ſopitus corpore Martyr,
Qui ſua fulgentis *ſolii pro limine* Felix,
Atria bis gemino patefactis lumine valvis
Spectat ovans &c.

Hæc illa *limina* ſunt, de quibus Lactantius loquitur, quæ

quæ in Templi medio ſita erant, unde Crucifixi imaginem in Altare erectam facile, ut diximus, proſpiciebant adſtantes, quum amotis velaminibus facies loci patefiebat. Hinc Paulin. idem *Natal. XI.* ℣.659.

Hoc opere eſt perfecta, modis ut conſita miris
Æterna Crucis effigiem deſignet utramque,
Ut modo ſi libeat ſpectari cominus ipſam,
Prompta fides poſſit, nam reddita fulget in ipſo
Quo fuerat prius apta loco, & velamine clauſi
Altaris facie ſigno pietatis adornat.

Ubi nota: hæc à Paulino ſcripta eſſe ſæculo IV. labente, ut venerandæ Crucis hoſtes perſpicue mentientes convincantur.

d *Siſte parum*. Sic habent omnes, quos vidimus, Ms. Codices, & editi libri, præter Heum. qui exhibet: *Siſte gradum* &c. *in Poecil.* Tom. I., non autem in editione ſua Opp. Lact. ubi nobiſcum legit. Virgil. certe Æn. VI. ℣. 465. *Siſte gradum* dixit; ſed diſcedentem alloquitur, ne ſuo ſubtraheretur aſpectu; Heic vero accedenti, & adſtanti verba diriguntur iſta, & quidem, ut loquentem intueatur, & audiat; eo propemodum ſenſu, quo Salluſtius *Jugurth. LXXXV.* ait: *Non ſunt compoſita verba mea. Parum id facio.* Paucis me expedio.

e *Reſpice me*. Scilicet: iterum, iterumque intuere, nec oculis ſolummodo corporeis, ſed animo, ac jugi meditatione, ut amor in corde excitetur, ex impreſſa patientis ſervatoris ſui imagine; ſicuti ſponſus in *Cant. Cant.* Sponſæ dicebat Cap. *VIII. 6. Pone me ut ſignaculum ſuper cor tuum.* &c. Quod ſic egregie S. Ambroſius *de Iſaac Cap.* VIII. expoſuit: *Signaculum Chriſtus in fronte eſt: ſignaculum in corde. In fronte, ut*

ſemper confiteamur, in corde, ut ſemper diligamus. Signaculum in brachio, ut ſemper operemur. Luceat imago ejus in confeſſione noſtra, luceat in lectione, luceat in operibus, & factis, ut ſi fieri poteſt, tota ejus ſpecies exprimatur in nobis. Unde Noſter ſequitur:

f *Me conde animo, me in pectore ſerva*: Amorem enim per imaginem amati ad animam mediis oculis accedere, eamque adurere, docuit Plato in *Sympoſio*; quod veriſſimum eſſe, ajunt philoſophi, quoniam effigies illa, quæ ex aſſidua contemplatione in internis ſenſibus efformatur, perſeverat etiam abſente eo, cujus imago eſt, qua quum amans diu contentus eſſe non poſſit, præſentiam optat amati, & ardens illius oritur deſiderium, animam urgens aſſiduis in eum motibus. Hinc David Pſal. XXXVIII. ℣. 4. ait: *Concaluit cor meum in me, & in meditatione mea exardeſcet ignis. Locutus ſum in lingua mea*: *Notum fac mihi Domine finem meum, & numerum dierum meorum quis eſt? ut ſciam, quid deſit mihi.* Et Apoſtolus Paulus etſi jure dicere poſſet; *vivo autem jam non ego, vivit vero in me Chriſtus*; fateri tamen cogebatur: *Coartor autem a duobus, deſiderium habens diſſolvi, & eſſe cum Chriſto. Gal.* II. 20.

g *Me in pectore ſerva*. Non ſatis eſt ſemel, aut iterum amati imaginem, ſenſibus impreſſam aſpicere; ſed condere, & tandiu ibidem ſervare, neceſſe eſt, quandiu ipſi placuerit ſe nobis præbere præſentem; ſpes enim temperat deſiderium; unde idem David Pſal. XVI. ℣. 15. *ſatiabor*, inquit, *quum apparuerit gloria tua*, & Job. XIX. ℣. 27. *Repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo*: eaque ſolabatur Apoſtolus, quum vita ejus in terris longius protrahi videret, II. ad Timoth. I.

Ille ego, qui [a] *caſus hominum miſeratus* [b] *acerbos*
Huc veni, pacis promiſſæ interpres [a], *& ampla*
Communis culpæ venia; hic clariſſima ab alto

---

moth. I. ℣ I. *Ob quam cauſſam*, inquiens, *hæc patior ſed non confundor; ſcio enim cui credidi, & certus ſum, quia potens eſt depoſitum meum ſervare in illum diem*. Duo itaque heic Noſter præſtitit antequam piam animam ad meditationem divinorum beneficiorum introduceret: Primum eum docuit a Chriſti domini patientis humanitate meditanda; numquàm recedere, contra id, quod a quibuſdam inſanis authoribus aliquando inſinuari, tentatum eſt. Secundo Theologicas virtutes excitare geſtit, fidem nimirum, quæ aliarum veluti radix eſt, quum ait: *Reſpice me* ut noſcas, cujus ſim imago. Deinde ſpem, ſubdens: *me conde animo*; ut conſtanter viam teneas, quam tibi præundo demonſtravi. Tandem charitatem, per: *me in pectore ſerva*; hæc enim; teſte Apoſtolo *I. Corinth. XIII.* ℣. 8. *numquam excidit*; ſed in patria conſummatur, atque perficitur. His autem excitatis, jam anima experiri incipit, quam vere Chriſtus dixerit; *Joh.* XIV. ℣. 6. *Ego ſum via; veritas, & vita*, & quid ſit, *Chriſtum, Chriſto, & in Chriſtum credere*. Adde Lact. *in Epitom.* Cap. LXVI. ſeg. 2. & 3.

a *Ille ego, qui* &c. Sic Virgilius in principio *Æneidos*, quamquam verſus ille cum tribus immediate ſequentibus non omnes Ms. Codd. exhibeant, nec expoſitores omnes illuſtrent: Vide ibidem Joh. Pier.

Valer. Sic Ovidius Heroid. XII. pag. 117. ℣. 13. Elegantiſſime autem, & maxime apta locutio hæc a Noſtro uſurpatur; nihil quippe eſt, quod amorem magis provocet in hominum cordibus, quam beneficiorum ab aliquo receptorum memoria, cujus ſi quis oblivioſus ſit, jam ſe ingrati animi vitium contraxiſſe, demonſtrat, docente Seneca Lib. II. *de Benef. Cap. I. Quis tam ingratus eſt, quam qui, quod in prima parte animi poſitum eſſe debuit, & ſemper occurrere, ita ſepoſuit, & abjecit, ut in ignorantiam verteretur? Apparet, illum non ſæpe de reddendo cogitaſſe, cui obrepit oblivio.* Hinc ſcite Lactantius Chriſtum inducit beneficia erga nos ſua nobis commemorantem, & a cauſſa ſuæ paſſionis exordium deſumentem; non ea tamen ratione, quia, ut Ovidius ait: *Heroid.* XII. ℣. 21.

Eſt aliqua ingrato meritum exprobrare voluptas.
Sed potius ..... *Neu gratia facto*
Nulla rependatur.

b *Caſus hominum miſeratus.* Ovidius Lib. XI. *Metam.* Fab. VIII. prope finem *Miſeratus Apollo* & Virgil. V. Æn. ℣. 700. *caſu concuſſus acerbo* quæ heic optime junguntur ad exprimendum miſerabilem totius humani generis lapſum, quo protoparente Adamo peccante, poſteri ejus cecidimus omnes

a *Pacis promiſſæ interps.* Livius Lib. XXI. c. XII. *Se pacis ejus interpretem fore pollicetur*: Scilicet Perotto interprete; Is qui in re inter inimicos agenda, medius eſt, & veluti conciliator, & author. Qualis vere Chriſtus Dominus fuit Deum inter, & homines, qui quum Deus eſſet, homo factus eſt, & *Princeps pacis* ab Iſaia Cap. IX. ℣. 6. merito appellatus, ac per alios

Reddita lux terris [a] *hic alma salutis imago,* [b]
Hic tibi sum requies, via recta, redemptio vera,
Vexillumque Dei [a] *, signum & memorabile phatu* [b] *:*

---

alios prophetas, & præcipue per Danielem Cap. IX. ℣. 24. promissum.

b *Et ampla 6. communis culpæ venia.* Non solum Nuncius, & pacis interpres Christus; sed remissio culpæ, condonatio erroris, Beneficium, & indulgentia hominibus factus est, quoniam ita semetipsum in ara Crucis pro nobis obtulit, ut Deus ut ait Apostolus ad Coloss. II. ℣. 15. *donans nobis omnia delicta, delens, quod adversus nos erat, chyrographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio, affigens illud Cruci.* Unde ampliora, quam prius nobis beneficia contulit, & perfectiora amplectendæ justitiæ consilia, conservandæ auxilia, reparandæ remedia tribuit, *qui cum illo omnia nobis* (ad Rom. VIII. ℣. 32.) *donavit.*

a *Reddita lux terris*; Iis nimirum, qui in tenebris, & in umbra mortis jacebamus.

b *Hic alma salutis imago.* Particula *Hic* adverbium est, quod nos per *heic* more antiquorum sæpe exprimimus, & hoc loci Crucem sanctam indicat, hoc sensu; In hac Cruce sum tibi alma imago salutis, sum requies, via recta, & redemptio vera. Respicit enim author ad Christi effatum Joh. XI. 25. *Ego sum resurrectio, & vita.* Et iccirco nos cum Ecclesia Catholica canimus in S. Crucis exaltatione Bz. *Lect. IV. Nos*

autem gloriari oportet in Cruce D. N. Jesu Christi, in quo est salus, vita, & resurrectio nostra, per quem salvati, & liberati sumus. Crux vero *alma imago salutis* dicitur, quia est Christi effigies sancta, & inclyta, quam nos propterea adoramus, eique dicimus:

O Crux, ave spes unica,
In hac triumphi gloria
Piis adauge gratiam,
Reisque dele crimina.

Quorum verborum expositionem vide ad Lib. IV. Cap. XVIII. seq. 32. S. Paulin. *Poema XVI. ad Nicetam* ℣. 106.

Et rate armata *titulo salutis*
Victor antemna Crucis ibis, undis
Tutus, & austris.

Adde Lactantium ubi supra Cap. XXVI.

2 *Vexillumque Dei.* Sic S. Ambrosius, vel quicumque sit author *hymni de Cruce*:

Vex illa Regis prodeunt:
Fulget Crucis Mysterium &c.

Verissima autem phrasi Crux sancta Dei Vexillum dicitur; nam sicuti Tertullianus ait *Lib. III. adversus Marcionem* exponens illud Isaiæ IX. ℣. 6. *CUJUS IMPERIUM FACTUM EST SUPER HUMERUM EJUS. Qui omnino Regum insigne potestatis suæ humero præfert, & non aut capite Diadema, aut manu sceptrum; aut aliquam propriæ vestis notam? Sed solus* (Al. Nisi solus) *novus Rex novorum avorum Christus Jesus; novæ gloriæ, & potestatem, & sublimitatem suam humero extulit, Crucem scilicet, ut secundum superiorem prophetiam exinde Dominus regnaret a Ligno.* Qui itaque Christi miles est Crucem adorat, tamquam

quam illius imaginem, ac ſuæ profeſſionis inſigne. Hinc Prudentius in pugna Luxuriam inter, & ſobrietatem ℣. 415. ait:

Vexillumque ſublime Crucis, quod in agmine primo
Dux bona prætulerat, defixa cuſpide fixit.

Et in hym. SS. MM. Hemiterii, & Celidonii ℣. 68.

Cæſaris vexilla linguunt,
Eligunt ſignum Crucis:
Proque ventoſis Draconibus,
Quos gerebant palliis,
Præferunt inſigne lignum,
Quod draconem ſubdit.

b *Signum & memorabile fatu.* Sic hanc lectionem ſuo primus nitori reddo Ex Ms. Cod. Ottoboniano E. ℣. 9. pag. 115. in qua ℣. 3. habetur hoc modo hoccce emiſtichium detruncatum inter quamplurima aliorum carminum fragmenta, titulis plerumque carentia: Huic tamen præfigitur inſcriptio: *CHRISTVS è CRVCE PENDENTIS.*

. . . . . *Si num emor bil atu.*

Michael. Thom. edidit *fari*: quæ lectio eſt noſtræ ſatis proxima. Beroaldus, Fabricius, Rivinus, & alii: *fati* id eſt *Mortis*, ut exponit Cellarius, quem poſtea ſecuti ſunt omnes recentiores, excepto Langletio, qui cum Thomaſio facit. Lectio noſtra ſui vadem Virgilium habet Æn. Lib. XII. ℣. 25. ubi ait:

. . . . *Sine me hæc haud mollia* FATU
Sublatis aperire dolis &c.

Diverſa vero ratione; ſed ſignificatione eadem S. Paulinus Nolaus *Poem.* XVII. 2 ℣. 245. ait:

Te patrem dicit plaga tota Borræ,

Ad

Te propter, vitamque tuam sum Virginis aluum [a]
Ingressus, sum factus homo, atque horrentia passus [a]
Funera, nec requiem terrarum in finibus usquam [a]

In-

Ad tuos FATUS *Scytha mitigatur* &c. Valet autem, ac si diceret: Sanctam Crucem esse signum dictu memorabile: I. E. memoria recolendum, ob mirabilem ipsius signi potentiam, & virtutem, de qua Lactantius agit Lib. IV. Cap. XXVII. a seq. I.

a *Sum Virginis alvum* 11. *Ingressus* &c. Nempe Verbum divinum, qui ab æterno erat Deus, & in tempore in uterum intemeratæ Virginis ingressum, retinens divinitatem, sibi humanitatem nostram assumpsit, & homo factus est. De hoc mysterio Lactantius agit Lib. IV. Cap. XII, seq. I. simili phrasi usus: *Sanctam Virginem, cujus utero se insinuaret elegit*. Quem imitatus est Alcimus Avitus in Lib. *de Castitatis laude* ℣. 229. de Beatissima Deipara canens:

. . . . . *Dono cui contigit alto*
Virginis, & Matris gemina gaudere corona,
Conciperet cum carne Deum, cælique creator
Intraret clausum referans mysteria ventrem:

a *Atque horrentia passus* 12. *Funera* Lactantius Lib. II. Cap. V. seq. 23. *horrentibus tenebris*. Et Virgil. I. Æn. ℣. 638. . . . . *Magnorum horrentia centum*
Terga suum &c. *Funus* heic translate pro mortis violentæ usurpatur genere, sicuti apud Virgil. Lib. IV. Æn. ℣. 308.

Nec

Inveni; ſed ubique minas; ſed ubique labores.
Horrida prima mihi in terris magalia Judæ a
Hoſpitia in partu, ſociæque fuere parenti.
Hic

Nec moritura tenet crudeli funere Dido?

a *Terrarum in finibus uſquam* 13. *Inveni*. Quum de orbis terrarum finibus indefinite loquimur, vanum eſſet terminos quærere, ultra quos egredi non poſſet, niſi prius eos quiſque ſibi conſtituat. Heic ergo ne putes, omnem mundi plagam Chriſtum peragraſſe; ſed nullibi terrarum, quas incoluit, vel circumivit, requiem laboribus inveniſſe.

a *Horrida . . . Magalia Judæ*: Tugurium Bethlehemicum ſic eleganter appellat; Magalia enim, teſte Servio ad illud Virgilii Lib. I. Æn. ℣. 425. *Magalia quondam*, ait: Antiſtoechon eſt: Nam debeuit *Magaria* dicere; quia *Magar*, non *Magal*, Poenorum lingua, *Villam* ſignificat. Vide ibidem cætera. Additur autem *Judæ*, quia Bethlehem, in cujus ſuburbio natus eſt Chriſtus Jeſus ex Michææ prophetia, quam laudat S. Matth. Cap. II. ℣. 6. ſita eſt in ſorte quam, Tribui Judæ obtigerat, & eſt ab illa diverſa, quæ in Galilææ finibus a Tribu Zabulon incolebatur. Vide Interpretes L. C.

a *Fuſa dedit*. Thyſ. legit: *Heic circum jecta dedit &c.*

b *Bruta inter inertia*: Bunem. heic notat: *Vel hæc vox prodit non eſſe Lactantii*; Sed ad hanc conjecturam diſpellendam vide quæ a nobis dicta ſunt Diſſ. xv. Cap. II. §. IV., ubi ex profeſſo de eadem diſputavimus,

Hic mihi fusa dedit [a] bruta inter inctia [b] primum
Arida [a] in angustis præsepibus herba cubile:
In Phariis [a] primos vixi [b] regionibus annos

---

mus, & una de bove, & jumento egimus, quos temere critici quidam a dominico præsepio arcere contendunt: asserentes certiorem hujus opinionis epocam adstrui citius non posse, quam ad dimidium sæculi V., quo vivebat author Libri *Promissionum* sub ementito S. Prosperi nomine, ut ait Calmet. ad Cap. I. Isaiæ ℣. 3. Sed longe ii omnes falluntur; nam ultra istius prophetæ vaticinium, etiam Habachuc III. ℣. 2. Secundum versionem LXX. Interpretum habetur: *In medio duorum animalium cognosceris*. Ubi etsi Patrum veterum nonnulli sensum allegoricum exponunt; nullus tamen eorum est, qui litteralem, quem dicunt, improbet, aut respuat. Vide eos apud Leonem a Castro, a Cornelio a Lapide laudatum, & apud Baronium in procemio *Ann. Eccl.* n. 3. ubi clarissimum illud S. Hieronymi testimonium reperies in *Epist. ad Eustochium*, in qua de Paula loquens ait: *Bethlehem ingressa, & in specum Salvatoris introiens, postquam vidit sacrum Virginis diversorium, & stabulum, in quo agnovit Bos possessorem suum, & Asinus præsepe domini sui* &c. quibus addere possemus imagines satis antiquas hujus mysterii, tam in tabulis marmoreis insculptas, quam caloribus expressas, nisi authoris nostri Carmen hocce & Origenis verba a nobis recitata diss. XV. L. C. ad ostendendam hujusce opinionis vetustatem sufficere putaremus.

2 *Ari-*

a *Arida.... herba*. Nempe fœnum, de quo in Sympoſio dixerat Ænig. L. ℣. I.

Herba fui quondam viridi de gramine terræ.

Hæc igitur herba arida, & in præſepio fuſa naſcentis Jeſu primum cubile fuit: Unde Prudentius *Cathem.* ℣. 1670. ait:

O Sancta præſepis tua
Æterne Rex cunabula,
Popliſque per ſeclum Sacra
Mutis & ipſis credita.
Adorat hæc mutum pecus &c.

a *In Phariis primos vixi* &c. Vox *Pharos* parvam olim indicabat Ægypti inſulam, quæ poſtmodum a Cæſare dictatore coloniaRomanorum facta eſt, & ponte juncta Alexandriæ, de qua vide Plin. Lib. IV. Cap. XXXI. Lucan. Lib. X. *Phars.* ℣. 509.

. . . . . *Pharos inſula quondam*
In medio ſtetit illa mari &c.

Ab ea *Pharii* appellati ſunt Ægyptii, & ea, quæ ad illos pertinent. E. G. *Juvencam Phariam* Ovidius Iſidem appellavit. Equor *Pharium* Lucan. Lib. IV. ℣. 257., & *Turba Pharia* dicta eſt a Tibullo Lib. I. Eleg. III. ℣. 32. gens Ægyptia, quæ Deliam Iſidem colebat; De mora itaque heic Noſter loquitur, quam puerum Jeſum, perſecutionem Herodis fugientem, in Ægypto feciſſe, narrat Evangelium; præcipue vero, ſi Sozom. *Lib. V. Hiſt. Eccl.* Cap. XXI., & Evagrio *Lib. II. Cap. VII. de Vitis PP.* habenda ſit fides, Sacræ familiæ aſylum præbuit Hermenopolis, Ptolomæo *Hermenupulis*, Leoni *Hermetis Urbs* dicta, & in Thebaide ſita ad Nili fluenta *Cynopolim* inter, & *Antinum*.

a *He-*

Herodis regno profugus [a], *reliquoſque reverſus* [b]
Judæam ſemper jejunia ſemper, & ipſam
Pauperiem extremam [a], *& rerum inferiora*
ſecutus,

Sem-

---

a *Herodis regno profugus*. Matth. Cap.II. a ℣.13. hæc narratur hiſtoria, de qua cum Lactantio locuti ſumus Lib. IV. Cap.X. ſeg.18.

b *Reverſus* 20. *Judæam*. Al. *Judæa* Scilicet ſubintelligendo *in ex In Phariis vixi*. Nos vero lectionem Ms. Codd. ſequimur, probantibus pluribus apud Bunem., & Heum. Et non ſine ratione; nam verbum *revertor*, ſeu *reverto* non ſolum accuſativo, & propoſitione *ad*, vel *in* conjungitur; ſed etiam iis omiſſis Cicer. in *Orat.* pro Roſcio Amer. 26. ait: *Legati Ameriam, re ignorata redierunt*.

Et Virgil. Lib. IV. Georg. ℣.132.

. . . . . *Seraque revertens*
Nocte domum &c.

a *Pauperiem extremam*: Non tamen mendicitatem, ob quam corrogata dictim ſtipe, Chriſtum in adoleſcentia victitaſſe, quidam perperam dixerunt, Evangelio contradicentes, in quo legimus Mar.VI. ℣. *Nonne hic eſt faber, filius Mariæ* &c. Immo falſum etiam eſt, eum quandiu inter homines in terris vixit, nihil proprium *tam in particulari, quam in communi poſſediſſe*; ſed omnino pauperrimam vitam, abſque omni peculio, & Dominio tranſegiſſe, ſicuti ſæculo Eccleſiæ XIII. nonnulli in vulgus ignarum ſpargebant; Nam opinio iſta erronea, & Scripturarum teſti-

Semper agens [a] *monitis humana salubribus almæ*
Ingenia ad studium probitatis, aperta salubri
Plurima doctrinæ injungens miracula: [a] *quare*

Im-

---

stimoniis manifestissime contraria, merito hæreseos nota a Johanne XXII. inusta est II. Idus Novembris Ann. MCCCXXIII. ut habetur Cap. IV. *de Verbor. signif. in* VI. *decretal.* Quamquam voluntariam paupertatem, mendicitatis consortem, ad virtutum omnium exercitium, & ad fidelium suorum institutionem, coluisse Dominum, certum est, ut docet S. Thom. 2. 2. *Q.* 187. *Ar. v. cor.*

a *Semper agens* &c. Al. *Semper egens*. Omnino male, ut sequentium sensus demonstrat; dicit enim: *Semper agens humana ingenia ad studium almæ probitatis monitis salubribus*, quemadmodum decebat divinum præceptorem. Eleganter autem dicitur: *agere aliquem ad aliquid*. Unde Horat. *Lib. II. Serm.* Sat. VII. ℣. 24.

Si quis ad illa Deus te agat &c. valet enim *urgere, & vehementer impellere*. Quod quidem etiam eo tempore, quod intercessit ex reditu ab Ægypto ad Baptismum usque susceptum, exercuisse Christum Dominum, inde facile eruitur, quod quum esset annorum XII. parentibus in patriam redeuntibus, ac per triduum eum requirentibus; tandem in templo repertus est, ubi in medio doctorum sedens, audiens, & interrogans illos, de rebus divinis sapientissime

dis-

Impia Hieruſalem [a] *rabidis exercita curis*
Invidiæ, ſæviſque odiis [a]*, & cæca furore,*
Inſonti eſt pœnis lethalibus auſa cruentam

---

diſputabat, Parenti interpellanti reſpondens: *Quid me quærebatis? Neſciebatis, quia in iis, quæ patris mei ſunt, oportet me eſſe?*

a *Plurima doctrinæ injungens miracula.* Al *jungens.* Al. *adjungens.* Al. in Margine: *confirmans doctrinam*, quæ expoſitio eſt. Quamquam *injungere* heic valeat ac *ſimul jungere*, ſeu potius *addere*: Livius Lib. IV. Cap. XIX. *Conſul muro brachium injunxit*: Vide ibidem Gronov. Circa Chriſti Domini miracula duo potiſſimum ſunt errores longe ante hæc noſtra tempora ſuborti. Aliqui enim de ateiſtarum genere, Hebræis in hoc iniquo fœdere ſociati, illa vera fuiſſe negabant, de quibus cum Noſtro egimus *Lib.* V. Cap. III., & diſſ. XXIX. cap. x. §. v. Alii vero ex adverſo puero Jeſu hujuſmodi actiones ab infantia perperam tribuebant, quos S. Joh. Cryſoſt. hiſce verbis graviter caſtigavit *Hom. XVI. in Joh conſtat ſigna illa, & miracula, quæ in Chriſti pueritia feruntur, vera non eſſe; nam ſi a puero miracula patrare cœpiſſet, non ſane id Johannes ignoraſſet, nec reliqua multitudo indiguiſſet magiſtro, qui ipſum manifeſtaret.* Nec vere idem Evangeliſta Johannes II. ℣. 11. ſui Evangelii dixiſſet de aquæ in vinum converſione: *Hoc fecit initium ſignorum Jeſus in Cana Galileæ.*

a *Impia Jeruſalem.* Putant aliqui, *Jeruſalem* eſſe pentaſyllabum, & quidem pedem conſtituere *proceleuſmaticum*, ſeu *Dypyrrichium*, aut *Spondepyrrichium* cum ultima producta. S. Paulinus Nolanus ter *in Poemate IX.* Al. *VIII. Paraph. Pſal. CXXXVI.* voca-

vocabulum hoc ita uſurpat, ut ſi pentaſyllabum velis, *Pyrriſpondeus* ſit, cum ultima producta; ſi vero *tetraſyllabum* facias, erit *dyſpondeus*. E. g. ℣. 33.

Urbs Hie ruſa lem ſi at mei non memor unquam. Vel: Urbs Hie ruſa lem ſi at mei &c. Et ſic ℣. 38., & 41. Quod fit more Græcorum, ut in *Metaphraſi Pſalmorum CXXXVI., & CXLVII.* feciſſe videtur Apollinaris. At Lactantius id nomen habet pro tetraſyllabo *choriambo*, non per aſpirationem, nec per vocalem *i*, ſed per conſonantem *j* perſcriptum, ut prima in Jeruſalem, ſit *je* producta. Sic Prudentius *Pſych.* ℣. 879.

Jeruſalem templo nunc illuſtrata quieto.

Et Drepanius Florus in *Hymno ad S. Michael. Archangel.*

Jeruſalem Dominus larga pietate reviſet.

Unde non audiendus Daviſius apud Bunem. heic. Urbem hanc, quam Cicero *Pro Flacco 67. Hieroſolymam* appellat, utpote Judææ in Paleſtina caput, Noſter pro *Solymis* ſeu *Hieroſolymis* (ſicut a Tacito Lib.V. *Hiſt. Cap.II.* & a Suetonio *in Nerone* vocantur illius cives) uſurpat. Alii dicerent *pro Jeroſolymitanis*; & hoc ad Virgilii imitationem, qui ſæpe *Romam*, *Carthaginem*, *Tojam* &c. pro gentibus, quæ Urbes illas inhabitant, adhibere conſuevit. De nominis varietate vide annotata a nobis *ad Lib.IV. Cap. XIII.* ſeq.24. & adde Euſeb. Lib.IX. *Præpar. Evangel.* Cap. VI. Al. IV.

a *Invidiæ*, *ſæviſque odiis* &c. Chriſtum Dominum invidia, atque odio Phariſæorum, Scribarum, ac Principum Judææ, & Sacerdotum in Crucem actum fuiſſe, ob miracula ab eo patrata, ſub obtentu tamen communis Reipublicæ utilitatis, eorum verba

In cruce terribili mortem mihi quærere [a] ; *quæ ſi*
Latius ipſe velis [a] *diſtinguere* , *ſique per omnes* [b]
Ire juvet gemitus , *mecum & ſentire dolores* [c] ,

Col-

---

oſtendunt apud S Joh. *Cap. XI.* ℣. 47. ubi legitur : *Colligerunt ergo Pontifices , & Phariſæi concilium , & dicebant : quid facimus ? quia hic homo multa ſigna facit . Si dimittimus eum ſic , omnes credent in eum ; & venient Romani , & tollent noſtrum locum , & gentem .* Et iccirco Lactantius, quum jam de miraculis ipſius egiſſet, mox de invidia , & odio Judæorum ſermonem inſtituit.

a *Mortem mihi quærere* : Id eſt *parare* . Cicer. *Pro Cluent.* 125. *Qui quum venenum privigno quæreret* &c.

a *Latius ipſe velis* : Sic omnino legendum, ea, quæ ſequuntur , oſtendunt. Al. *ipſe velim* .

b *Sique per omnes* : Al. *Sicque per omnes* .

c *Mecum , & ſentire dolorem* . Quæ divino tanguntur animæ Jeſu patientis amore , tanta miſericordia moventur , ejuſdem paſſionem amariſſimam recolentes , ut vel in ſe ipſis dolorem vehementiſſimum contrahant , vel ſimul una pati , ac tormenta ſecum communicare , ardentiſſime optent ; quod & ab eodem Chriſto dilectis quibuſdam animabus conceſſum fuiſſe , certo ſcimus , ex Stigmatibus , aliiſque hujuſmodi indubiis ſignaculis , in eorundem corporibus divino conſilio impreſſis , ac diu poſt obitum adhuc perſeverantibus , ut de corde S. Matris noſtræ Thereſiæ

Collige consilia[a], *insidiasque*[b], *meique nefandum*
Sanguinis innocui pretium[a], *& simulata clientis*[b]
Oscula, & insultus[a], *& sævæ jurgia turbæ.*

Q 2

---

resiæ transverberato, & quotidie hactenus exhalante, evidenter constat, & in corde B. Claræ de Monte Falco instrumenta omnia dominicæ passionis, veluti insculpta, demonstrant. Unde in Hymno ad Deiparam cruci adstantem canimus:

Santa Mater istud agas
Crucifixi fige plagas
Cordi meo valide:

a *Collige consilia* &c. Scilicet, quæ inter se de perdendo Domino Judæi inierunt. Collige heic idem valet, ac *conjice*, *perpende*, *nosce*. Ovid. *Lib. VII. Metam.* pag. 266. ℣. 23.

. . . . . *Tu collige, qualis in illa,*
Phoce, decor fuerit, quam sic dolor ipse decebat.

b *Insidiasque*: Ubi enim agebatur de Jesu dolo tenendo, ac de inducendis falsis testibus, quis dubitet, quin insidias potius, quam consilia instruerent Judæorum iniquissimi Sacerdotes, & principes? Al. *insidiasve*.

a *Sanguinis innocui pretium*. Sic Ovidius *pretium* inquit *pietatis iniquum*. Heroid. XIV. ℣. 129. Mercedem intellige, quam Judas proditor accepit, Jesum ut traderet Judæis. Variant quidem interpretes in determinanda quantitate valoris illorum nummorum, de quibus Matth. XXVI. ℣. 15. loquens ait: *constituerunt ei triginta argenteos*. Hoc certum: reddidisse Judam illos omnes Principibus Sacerdotum, qui

qui consilio inito, quid de iis essent acturi? Statutum est, agrum in Sepulturam peregrinorum emere, quem *Acheldamam* inde appellarunt, quod ex pretio sanguinis fuerat comparatus.

b *Et simulata Clientis* 33. *Oscula*: Nempe Proditoris discipuli; *qui perlita felle*.

Oscula divino potuit libare magistro,

ut sub mentito Sectani nomine, inquit Ludovicus Sergardus Sat. IX. ℣. 15., cujus autographum fratris ejus filius non diu antequam obiret, ostenderat mihi.

a *Et insultus*: Vocabulum hoc apud Latinos nusquam reperitur, quamvis *insultatio*, *& insultans*, a verbo *insulto* deducta, a nonnullis rite usurpentur, judice Sypontino. Felicem propterea Lactantii ausum existimo hujus novæ vocis adinventionem ad significandas irrisiones, & contumelias, quas Reparatori nostro irrogarunt Judæi antequam eum in crucem agerent, & postquam eum in illam egissent. Vide Matth. XXVI. ℣. 67. seqq. de quibus mox Noster loquitur; nam *insultare alicui*, est eum irridere, & in eum contumeliosius agere sive factis, sive verbis: Propert. Lib. II. Eleg. V. ℣. 7.

Nec mihi tam duris insultet moribus &c.

Ubi Beroald. exponit: *Illudat, Irrideat; nam, ut ait Servius, Insultare significat irridere inimicos, vel injuriosius aliquid dicere. Hoc enim insultare, est, ut docet Nonius: Inde scribit Tranquillus dixisse Cæsarem, se insultaturum capitibus adversariorum*. Phrasis Virgilio usitata Lib. VIII. Æn. ℣. 570.

. . . . *Neque finitimo Mezentius usquam*.
Huic capiti insultans, tot ferro sæva dedisset
Funera &c.

a *Ver-*

Verbera præterea, & promptas ad crimina linguas
Fige animo [a], *& teſtes* [b], *& cæci infanda Pilati* [c]
Judicia, ingentemque humeros, & ſeſſa præmentem [d]

Q 3

---

a *Verbera præterea*: Pilatus aperte cognoſcens Chriſti Domini innocentiam, & Hebræorum in eum calumnias, atque odium, volenſque illum morti ſubtrahere; *emendatum*, ait, *illum dimittam*. Luc. XXIII. ℣. 16. Hæc autem emendatio fuit, qua injuſtiſſime *Jeſum flagellavit*: ut habetur Jo. XIX. ℣. 1. Poena hujuſmodi uſitata erat tam apud Hebræos, quam apud Romanos; diverſimode tamen exercebatur: illi ſiquidem ex lege lata *Deuter.* XXV. ℣. 3. *Si eum, qui peccaverit, dignum viderint plagis, proſternent eum, & coram ſe facient verberari. Pro menſura peccati erit plagarum modus: ita dumtaxat, ut quadragenarium numerum non excedat.* Duplici inſtrumentorum genere fieri conſueviſſe, creditur; nam Paullus *II. Corinth. Cap. XI.* ℣. 24. narrat, ſe quinquies a Judæis flagellatum fuiſſe, & ſubdit: *ter virgis cæſus ſum*; bis ergo loris, aut flagris alii idem factum eſſe, ſuſpicantur. At noſter Jeſus, more Romanorum, verberatus eſt, non humi ſtratus; ſed erectus, & manibus in terga verſis, ac atrii columnæ alligatus. Sicuti de vili ſervo dicitur apud Plautum Bacchid. Act. IV. ſc. VII. ℣. 24.

. . . . . *Adducite hunc*
Intro, atque adſtringite ad Columnam fortiter.

Et

Et quidem, ut ejus.. *virgis latera lacerentur probe.* Vide ff. *de Pœnis* L. *Servorum*. L. *Porciam* L. *Semproniam*.

b *Et promptas ad crimina linguas*. Scilicet ad criminandum, & contumelioſe traducendum inſontem Dominum, qui id jam mox futurum paullo ante prædixerat Marc.X. ℣.33. *Ecce aſcendimus Jeroſolymam, & filius hominis tradetur Principibus Sacerdotum, & Scribis, & Senioribus, & damnabunt eum morte, & tradent eum gentibus, & illudent ei, & conſpuent eum* &c.

a *Fige animo*: Id eſt: alta mente repone, ad Virgilii imitationem Æn. X. ℣. 104.

Accipite ergo, animis atque hæc mea figite dicta. Unde male Heum., & Bunem. *Finge animo*. I. E. *Imaginare*.

b *Et teſtes* &c. Eos nimirum, qui falſa crimina eidem intentabant; Principes enim Sacerdotum, & omne Concilium malignantium Hebræorum *quærebant falſum teſtimonium contra Jeſum, ut eum morti traderent, & non invenerunt, quum multi falſi teſtes acceſſiſſent. Noviſſimè autem venerunt duo* &c. Matth. XXVI. ℣.59.

c *Et cæci infanda Pilati 36. Judicia*: Hinc Nonnulli putant, ſe demonſtrare, carmen hocce non eſſe Lactantii, quia is Lib.IV. Cap.XVIII. Seg. 6. de Pilato dixit: *Nec tamen ipſe ſententiam protulit*. Sed vide quæ ibidem a nobis annotata ſunt, & quæ diximus Diſſ.xv. Cap.II. §. V. ad hujuſmodi objectionem diluendam.

d *Et feſſa prementem 36. Terga Crucem*. Quoniam qui humeros ſuos ponderibus gravant facile fatigantur, ac fatiſcunt, hinc proprie, & elegantiſſime

heic

heic Noſter crucem adhibet feſſa Chriſti terga prementem. Cicer. Lib.V. Fam.XII. *Eram neſcius, quantis oneribus premerere* &c. Mos autem erat, ut ad crucem damnati, eam ad mortis ſubeundæ locum, deferrent; Unde Plutarchus *DE SERA NUMINIS VINDICTA: Quemadmodum*, inquit, *quum ad ſupplicium educuntur, quiſque ſuam affert crucem*; Sic Chriſti humeris, ex proxima flagellatione cruentis, atque excarnificatis, immane patibuli pondus fuit impoſitum, quod ſibi bajulans *exivit in eum, qui dicitur Calvariæ locus*, ut ait S Joh. Cap.XIX. quamquam Matth. XXVII. ℣. 32. certiores nos faciat, quod extra urbem, quum fatiſcentem ſub pondere Jeſum viderent (Judæi ne, an milites Romani, ignotum) *exeuntes invenerunt hominem Cyrenæum, nomine Simonem: hunc angariaverunt, ut tolleret Crucem ejus*: ubi quidam exponunt: *Sociis humeris*, quod eruunt ex Lucæ verbis Cap.XXIII.℣.26.*Et impoſuerunt illi Crucem portare poſt Jeſum*. Ut ſæpe in picturis repræſentatum vidimus. Baſilidis, ac Marcionis putidum commentum fuit, ac hæreſis peſſima aſſerere, tunc Chriſtum Judæorum oculos ita perſtrinxiſſe, ut ſeſe inde ſubducto, loco ipſius Simon ille non ſolum Crucem bajulaverit; ſed eidem fixus in eadem remanſerit. Vide Tertullianum *de Perſer. C.XXVI.* Auguſt. *de Hæreſ.* & Euſeb. *Lib IV. Hiſt. Ecc. C.VIII.* mendacium hocce fuſe, docteque refutantes.

a *Atque graves ad horrenda funera greſſus*. Videtur ad illud Virgilii in ſeditione reſpexiſſe Æn. I. ℣. 155.

Tum pietate gravem &c. Quis enim hæc animo reputans, ignorare, aut diſſimulare poterit, qualem eſſe deceret Chriſti Domini inceſſum, utpote

Terga crucem, atque graves horrenda ad funera greſſus [a].

Nunc me, nunc vero [a] *deſertum* [a] *extrema ſecutum*

Supplicia, & dulci procul à genitrice [a] *levatum*

Ver-

---

qui ſponte ſua tam dira ſubjerat, atque indigna ſupplicia.

a *Nunc me, nunc vero* &c. Sic omnes Ms. Codd. & libri, hunc ſenſum exhibentes: *Nunc luſtra me ſecutum extrema ſupplicia a vertice uſque ad pedes; nunc vero deſertum, & procul levatum a dulci genetrice.* Luſtrare autem heic valet *attente perſpicere, & ſædulo conſiderare.* Cicer. *I. Offic.*, & II. *de Finib.* ait *luſtremus animo.* Sequi vero extrema ſupplicia valet heic idem ac *aſſequi*, & *amplecti*, ut ſæpe occurrit apud latinos.

a *Nunc vero deſertum.* Diſcipuli enim omnes, ut S. Matth. ait *Cap. XXVI. ℣. 56. relicto eo, fugerunt.*

a *Procul a genitrice.* Scilicet in altam crucem levatum, quæ procera fuiſſe dicitur, & quindecim pedes altitudinis habuiſſe, quidam affirmant. Erat quidem conſuetudo apud gentes eo excelſiorem Crucem alicui ſtatuere, quo magis is eminebat, qui ad eam ſubeundam damnabatur, ut Baronius oſtendit *in notis ad Martyr. Rom. die VII. Idus Aprilis*; illud tamen eſt animadvertendum, quod etſi apud Medos, & Perſas vili habereretur Mardochæus, adhuc ignotus homo; eidem nihilominus paratam ſcimus fuiſſe Crucem, *habentem altitudinis quinquaginta cubitos.*

ES-

Vertice ad uſque pedes me luſtra : en aſpice crines
Sanguine concretos [a] , *& ſanguinolenta ſub ipſis* [a]
Colla comis , ſpiniſque caput crudelibus hauſtum [a] ,

De Paſ. D.N. Q 5 *Un-*

ESTHER CAP. V. ℣. 14. Quod præoculis habere debuiſſet inſignis ille criticus, qui *Exercit. Lib. III. n.3.* dixit: *hujuſmodi crucium exempla complura quidem eſſe ; at non niſi pro ſummis , & eminentibus viris* : afferendo in primis Amanni hiſtoriam , quæ ſi , ut debet , expendatur , contra ipſum validum conficit argumentum : ſiquidem Aman in eodem patibulo ſuſpenſus eſt , quod ipſe paraverat Mardochæo. *Eſther. VII.* ℣.10. Vide Lipſium *de Cruce Lib.III. Cap. XIII.* , ubi non ſolum iſta exponit ; verum etiam verba Lactantii recitat ex *Lib. IV. Cap. XXVI. ſeg.* 34., addit-que illud Tertulliani *ex Cap. III. ad Martyr: Timebit forſitan carogladium gravem,aut crucem excelſam&c.* ad oſtendendum , pleraſque omnes Cruces proceras potius , quam humiles fuiſſe , & iccirco bene Lactantius dixit , Chriſtum procul elevatum a dulci genetrice , quamvis S. Johannes Evangeliſta narret , quod Virgo Deipara : *Stabat juxta Crucem* ; Nam Servius ad illud Virgil. Æn.V. ℣. 380.

Longa procul longis via dividit invia terris : annotat hoc præſertim de illis dictum eſſe , qui non tantum ſitu ; ſed magis dura neceſſitate , & fatali dividebantur .

a En aſpice Crines 41. *ſanguine concretos* . Valer. Flacc. III. Argon. ℣.286.

Ille

Undique diva pluens vivum ſuper ora [a] *cruorem.*
Compreſſos ſpeculare oculos [a], *& luce carentes,*
Affictaſque genas [a]: *arentem ſuſpice linguam* [b]

Ille ubi concretos pingui jam ſanguine crines
Pallenteſque genas &c.

a *Et ſanguinolenta ſub ipſis 42. Colla comis*: Ovid. Heroid. III. ℣.50.

Pectora jactantem ſanguinolenta.

a *Spiniſque caput crudelibus hauſtum*. I.E. *Abſortum*, ac undique circundatum. Ovid. VIII. Metam. p.291. ℣. 14. *Roſtro femur hauſit adunco*.
Spinea enim corona, qua ſanctiſſimum Reparatoris noſtri caput redimitum fuit, ex ſentibus ſpinoſis ita erat compacta, ut inſtar galeæ caput omne conſtringeret, & iccirco Evangeliſtæ uno ore iiſdem verbis utuntur, quum dicunt: *plectentes coronam de Spinis*. *Plecto* autem verbum Græcum eſt, quod *percutere* proprie ſignificat.

a *Diva pluens vivum ſuper ora*. Cellarius heic annotat: *Et hoc poſterioris ævi authorem arguat, quia DIVVS adjectitium veteribus fuiſſe, haud facile probaveris*. Sed ut alibi diximus fallitur Cellarius; nam etſi apud veteres, optimoſque Latinos frequentius *Divi* dicantur *Dii*, qui ex hominibus fieri putabant ethnici; ut quum Cicero apud Noſtrum *Lib. I. Cap. XV.* Seg.23. ait: *Divos, & eos, qui Cæleſtes ſemper habiti ſunt, colunto*; Non tamen adjective raro vocabulum *divus a . um* : uſurpatum reperies: E.G. *Di-*

vus

vus Caſar. Divus Auguſtus. Divi fratres &c. Virgil. X. Æn. ℣. 76.

Cui Pilumnus avus, cui diva Venilia mater.

& Lucretius Lib. V. ℣. 942.

Fabula diva tulit &c. Unde Perottus in *Cornuc. col. mihi XV. lin* 60 ait: *Ego Divum adjectivum eſſe exiſtimo, & ſignificare DIVINVM* &c. Optime autem dixit heic Lactantius: *Ora Chriſti Diva*: ob unionem hypoſtaticam Verbum divinum inter, & humanitatem ab eo aſſumptam.

a *Compreſſos ſpeculare oculos*. Languentis animi indicium ſatis certum, & exploratum eſt, ſi oculos quis ſibi comprimi ſentiat, & externa nulla ſit apparens cauſſa: Iccirco Colum. Lib. VI. Cap. IX. inter ſigna febricitantis eos reponit. *Speculare* autem eſt proprie *intuere*, & *intendere* aciem oculorum, & mentis, ut ea, quæ volumus, diligentius perluſtremus; quod ſæpe in hoc carmine diverſis vocibus inculcatur, ut ſingula patientis Domini membra vulneribus, atque acerbis cruciatibus afflicta inſpicientes magis magiſque intelligamus, quanti ſteterit Reparatori noſtro totius humani generis, ac ſingulorum hominum ſalus.

a *Afflictaſque genas*: Palmis nimirum, ac miniſtrorum ſputis, fluentique ex toto capite ſanguine deformatas; unde ſpecies, & decor in eo non erat amplius, neque eum in ſpiritu Iſaias videns noſcere potuiſſet, niſi aliunde, quis ille eſſet, comprehendiſſet: Is. LIII. ℣. 2. ſeqq. *Non eſt ſpecies ei, neque decor: & vidimus eum, & non erat aſpectus... & quaſi abſconditus vultus ejus, & deſpectus; unde nec reputavimus eum.*

b *Arentem ſuſpice linguam* 46. *Felle venenatam*: Multo jam ſanguine deperdito, ſitim in animalibus excitari, phyſici jamdiu docuerunt, qua Chriſtum vehementer laboraſſe, ipſe idem teſtatus eſt, quum ait Joh. XIX. ℣.28. *Sitio*. Eidem vero acetum ſpongia propinatum fuiſſe, idem tradidit Evangeliſta; quamquam Matth. XXVII. ℣. 34. habemus: & *dederunt ei vinum bibere cum felle miſtum*; & Marc. XV. ℣.22. *dederunt ei bibere vinum myrrhatum*. Sed vide Matth.XXVII. ℣. 48. Marc. XV. ℣. 36. quibus locis collatis facile intelliges quomodo hæc ſint concilianda teſtimonia, & adde ſecundas Baronii curas ad Ann.XXXIV. num. XCV. ac S. Auguſt. *Lib.III. de conſ. Evangel.* Cap. XI. *Criticoſque Sacros* L. C. Venenatum autem, etſi plerumque pro eo ſumitur, quod male afficit recipientem, proprie tamen id ſignificat, quod ea re eſt præditum, quæ cito per venas decurrit, ſive noxia ſit, ſive ſalubris; unde Lucret. *Venenum* pro *Medicamentum* adhibuit Lib. VIII. ℣. 691.

. . . . . *putriſque effluxit ab alto*
Humor, & infuſo facies ſolidata veneno eſt.

& Ovid. translate dixit Lib. II. Triſt. ℣.566.

Nulla venenato litera miſta joco eſt.

ſcilicet *mordaci*, & *aſpero*.

a *Cerne manus clavis fixas*. Quamquam in crucifixione nulla fiat de clavis, quibus Chriſtus cruci adactus eſt, mentio, certum tamen, & indubium eſſe debet ex eo, quod S. Thomas Joh. XX. ℣. 25. ait: *Niſi videro in manibus ejus fixuram clavorum, & mittam digitum meum in locum clavorum, non credam*. Illud vero in controverſiam vocatum eſt, tribus ne, an quatuor clavis id actum ſit; At jam nunc ſe-

Felle venenatam, & pallentes funere vultus.
Cerne manus clavis fixas [a] *, tractosque lacertos,*
Atque ingens lateri vulnus [a] *: cerne inde fluorem*

---

secunda inter eruditos obtinet sententia, Patrum, sapientissimorumque virorum suffragiis luculenter asserta. Id hac in re mirandum, quod apud Cornel. a Lapide legimus ex Mellonio *de stigmatibus* relatum: Scilicet, non Christi manus fuisse clavis terebratas; sed carpum, id est, locus ille, quo manus extrema bracchio jungitur; quod ostendere satagit per signa, quæ in Taurinensi Sindone apparent. At ego Sindonem illam, qua decet reverentia, equidem veneror; sed hanc opinionem minime sequi posse arbitror, quum Zacch. XIII. ℣. 6. de Christo Domino per prophetiam dictum sit: *Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum?* Ubi sacri interpretes, ac veteres Ecclesiæ Patres, sicuti ad Matth. XXVII. ℣. 35. uno ore antiquam tuentur traditionem, quæ volam, non carpum, clavis tam in manibus, quam in pedibus divini Præceptoris transverberatam fuisse; constanter docet.

b *Tractosque lacertos*. Sive Christus in Cruce humi strata supinus affixus fuerit, ut plerique putant, sive illi jam erectæ, ut alii contendunt, necesse tamen fuit, ut ejus bracchia violenter traherentur, atque aptarentur manus foraminibus, jam pridem in ligno factis, quod augendi doloris causa factum est, sicuti etiam obtusæ cuspidis clavos ob eandem rationem adhibitos fuisse, plurimi tradiderunt interpretes.

a *Atque ingens lateri vulnus*. Vix Sanctiſſima Chriſti anima ab illius corpore avolaverat; *Unus militum*, ut habetur Joh. XIX. ℣. 34. *latus ejus aperuit*. Pedes ne, an eques? Num Longinus nomine? utrum cœcus, an oculis dumtaxat caligantibus, miles ille fuerit? diſputant eruditi; ſed ſub Judice adhuc eorum pendent controverſiæ. Quod inter pedites ſit recenſendus, ratio illa præſtare videtur, quæ Romanorum conſuetudini congruentior eſt, in aſſignandis militibus, qui provinciarum Præſidibus dabantur. De ipſius nomine vide Baronii *notas ad Martyrol. Rom. Idib. Martii*, *& in Ann. ad Ann. XXXIV. num. CXXXI.* Tillemont. *Tom. I. Art. XXI. n. 38. Sur I. C.* Bolland. XV. Martii &c. Major quondam quæſtio mota eſt circa quodnam latus, dextrum ne, an ſiniſtrum fuerit Chriſto confoſſum? Pro dextero plurimi recenſentur authores, quamquam plerique ſtent pro ſiniſtro, utpote cordi magis proximo; Prudentius vero *Periſteph.* ℣. 2081. utrumque apertum aſſeruit, inquiens:

Ipſe loci eſt Dominus laterum cui vulnere utroque
Hinc cruor effuſus fluxit, & inde latex.

Huic proxime accedit Author Tragediæ, cui titulus eſt *Chriſtus patiens*; ſed vix crediderim, opinionem hanc ab errore excuſari poſſe; nam in Evangelio *latus*, non *latera* legimus confoſſum, & S. Thomas apud Joh. ubi ſupra quum, *manum in latus ejus* mittere ſe velle dicat, aperte communem ſententiam confirmat. Thomas Bartholinus, Medicinæ artis, & philoſophiæ peritus, diſſertationem edidit *de latere Chriſti aperto*, quam qui legerit, eruditionem ejus laude non indignam exiſtimare, non degnignabitur.

b *In-*

Sanguineum, [a] *fossosque pedes* [b], *artusque cruentos.*

Flecte genu [a], *signumque crucis venerabile adora* [b]

Flebilis, innocuo terramque cruore madentem

---

b *Inde fluorem* 49. *Sanguineum*. Scilicet Sanguinem, & aquam e Christi latere fluentem, non quidem confuse; sed divisim: Innocentio III. *in III. decretal.* Tit. XLI. *de Celebr. Miss.* Cap. VIII. docente, puram, veramque aquam illam fuisse, & quidem non sinè miraculo manantem, ut existimarunt S. Ambr. *in Cap. XXIII. Luc.* S. Augustin. *in Joh.* Tract. CXX. S. Cyrill. Alex. Lib. XII. in Job. Aliiqui, inter quos Prudentius, qui in sua permanens de duplici confosso latere opinione ait *Cathem.* ℣. 135.

O novum cade stupenda
Vulneris miraculum?
Hinc cruoris fluxit unda,
Lympha parte ex altera &c.

Per vices autem id contigisse plerique omnes ex eodem latere asserunt, primum quidem sanguinem, deinde aquam, scribit Nonnus *in Paraphr. Joh.* At contra Tertullian., Ambr., Hieronym., Damascen. ac S. Thom. Aquinas, aquam primum, inde sanguinem defluxisse, tradiderunt. Vide Bartolinum ubi supra Cap. XIV.

a *Fossosque pedes*. S. Iræneus, Justinus, Greg. Turon. apud Gretser. *Lib. I. de Cruce Cap. XXIX.* in ea sunt opinione versati, quæ Reparatoris nostri pedes non proprie Cruci fuerint confixi; sed suppedaneo

neo cuidam ligneo arcte, ac ita eidem adhærenti, ut ipse in eo stare videretur erectus. Franciscus Lucas Crucis truncum ita excavatum ad pedes usque fuisse, censuit, ut calcibus in cavo receptis, reliquam pedum partem clavi directe cofigerent. Nonnus Panopolitanus ubi supra Cap. XIX. *Immenso*, inquit, *ac singulari clavo pedis utriusque pectusculum uno impetu perforatum transfixere, pedibus sibi mutuo impositis, ac complicatis, inflexibile exitii vinculum*. Ne alios memorem, quos Fontaninius *de clavis, & Corona ferrea* agens in dissertatione, quam secundis curis recognitam, parabat, diligentissime recensuerat.

a *Flecte genu* &c. Georgius Fabricius Lutheranæ sectæ Scriptor, in sua Carminum sacrorum editione hunc, & duo quæ proxime sequuntur versus audaci manu sic connectere est ausus:

Flecte genu, innocuo terramque cruore madentem,
Ore petens humili &c. *Ne adorandæ crucis tam* antiquum, atque perspicuum adstare crederetur testimonium; sed merito eum castigavit Gretserus, ubi supra; nec eidem pepercerunt sodales sui, siquidem Joh. Albertus Fabricius *in Bibl. Latina Lib. III. Cap. II.* n. 22. *Sane*, inquit, *præstitisset G. Fabricium, virum alioqui de universa, sacra præsertim, antiquitate non male meritum, passim tum hic, tum alibi non ita fuisse in alienis operibus, quæ edebat, ingeniosus*. Hi autem sunt, qui nos librorum *castratores* appellant. Apud eos ingeniosi audiunt quum sui temere id faciunt: Si vero nostrorum aliquis non sine ratione idem præstiterit, aut quid simile jure tentaverit, temeritatis nota mox erit eidem inurenda.

b *Lignumque Crucis venerabile adora*. En causa, pro-

Ore petens humili [a] *lacrymis ſuffunde ſubortis,*
Et me nonnunquam devoto in corde, meoſque
Fer monitus, ſectare meæ veſtigia vitæ [a], *Ipſa-*

---

propter quam Heterodoxi, ut ſupra diximus, negant Carmen hocce eſſe legitimum Lactantii opus; vide Diſſ. XV. Cap. II. §. VII. Bunem. autem quum vidiſſet Commodianum *in Inſtruct. XXXII. edit. Schurtzfl pag.* 431. *Cruciarium Domini, ſi non adoraſti, periiſti*; Id eſt, interprete Rigaltio: *Crucem Chriſti, Chriſtum crucifixum*. Et Orientium *de Trinitate pag.* 94. edition. ejuſdem, ubi ait:

Aſpice, percuſſor demens, venerabile lignum: vetuſtatem hujuſce ritus inficiari non poſſe ratus: *uti hæc, & ſimilia*, inquit, niſi quis ſine *ſuperſtitione interpretetur, a ſanis formulis abeunt; ita certum eſt, Lactantium tale quid ne per ſomnium quidem cogitaſſe*; idque ex Lib. II. Cap. II. oſtendere contendit; quod tantæ dementiæ, atque obcœcationis eſt, ut longe minoris fuiſſe ille cenſendus ſit, qui nigram nivem, & album atramentum aſſeruit ut diſſ. XXXIV. Cap. IV. §. V. demonſtravimus. Heic nota, Commodianum antiquiorem fuiſſe Arnobio, & Lactantio annis fere centum. Orientium vero, ſeu potius Orentium fuiſſe Epiſcopum Eliberitanum ſæculo VI. eiſque adde S. Paulinum Nolanum, qui crucem Domini venerandam appellat in Poem. XXIX. ℣. 97. *de SS. Reliquiis per orbem diffuſis*, & Nat. XI S. Felic. ℣. 716. inquiens.

Nunc ad te veneranda Dei Crux verto loquelam &c.

[a] *Ore*

Ipſaque ſupplicia inſpiciens, mortemque ſeveram
Corporis innumeros memorans, animique dolores,
Diſce adverſa patia, & propriæ invigilare ſaluti.

Hæc

---

a *Ore petens humili* &c. Terram deoſculari, ac lacrymis perfundere vetus eſt Chriſtianorum mos, ſicuti nota tertia ad primum hujuſce poematis verſum vidimus. Adde Chryſoſt. *Hom. XXX. in Epiſt. II. ad Corinth.*

a *Sectare meæ veſtigia vitæ*. Lactantius non aliter *Lib. IV. Cap. XXIV. ſeg.* 17. ex perſona Chriſti eſt locutus: *Prior vado per ea, quæ ſuſtineri non poſſe prætendis: ſi præcipientem ſequi non potes, ſequere antecedentem.*

a *Diſce adverſa pati* &c. Siquidem, ut ibidem Lactantii verbis Chriſtus ait: *Ecce & in me dolor, ac Mors habet poteſtatem, & ea ipſa, quæ times vinco, ut victorem te faciam doloris, ac mortis.*

a *Si qua fides* 60. *ſi pietas* &c. Quanta ſit fidei, ac pietatis vis in fidelium cordibus ad concitandos animi affectus in recolendis dominicæ Crucis myſteriis, S. Ambroſius inter alios oſtendit *Orat. in Fun. Theodoſii* quum D. Helenam inducit M. Conſtantini matrem ſic in Golgothæ jugo differentem: *Ecce locus pugnæ, ubi eſt victoria? Quæro vexillum ſalutis, & non invenio. Ego, inquit, in regnis, & Crux Domini in pulvere! Ego in aulis, & in ruinis Chriſti triumphus! ille latet, & latet palma vitæ æternæ! Quomodo me redemptam arbitror, ſi redemptio ipſa non cernitur? Aperiatur humus, ut ſalus fulgeat* &c.

b For-

Hæc monimenta tibi, ſi quando in mente juvabit
Voluere, ſi qua fides [a] *animo tibi forte meorum* [b],
Debita ſi pietas, & gratia digna laborum [a]
Sur-

---

b *Forte meorum* : Sic Ms. Codd. Vatic., & Ottobon: cum Rivino. Al. cùm Cellario: *ferre laborum.*

a *Digna laborum*. Al. heic transferunt vocem ſuperius immutatam *meorum*.

b *Erunt veræ ſtimuli virtutis*; ſiquidem jugis meditatio paſſionis dominicæ fidem roborat, & ad imitationum provocat: fides ſibi pietatem ſociat, & grati animi erga benefactorem ſuum oſtendere geſtit affectus, quibus ſpes, & charitas mirabiliter foventur. Unde S. Paulin. Epiſt. XII. ad Severum, nunc XXXII. ait:

Cerne coronatam Domini ſuper atria Chriſti
Stare Crucem, duro ſpondentem celſa labori
Præmia: tolle Crucem, qui vis auferre coronam.

a *Hoſtis in inſidias Clypei*. Idem Paulinus ad Eundem Epiſt. I. Al. VI. *Tu vero miles Chriſti armatus ab Apoſtolo galea ſalutis, & lorica juſtitiæ, & ſcuto fidei, & gladio veritatis, & virtute Spiritus Sancti, ita in armis cæleſtibus conſtans, & tela inimici candentia fonte ſapientiæ, & flumine aquæ in te viventis extingue.*

a *Victorque feres certamine palmam*. Nam, ut idem S. Paulinus ajebat Epiſt. XXIV. Al. XI. de hac bellandi cum adverſariis inviſibilibus, & nobiſcum quotidie congredientibus ratione, ipſe idem ille Deus

Surget, erunt veræ ſtimuli virtutis[b] *, eruntque*
Hoſtis in inſidias clypei[a] *, quibus acer in omni*
Tutus eris , victorque feres certamine palmam[a] *.*

Hæc

Deus, & homo, qui pro nobis crucis patibulum conſcendit: *nobis & fiduciam dimicandi, & viam vincendi dedit, quum jam triumphantem in ſe ipſo naturam hominis portans ait: Conſtantes eſtote, quoniam ego vici mundum.*

a *Hæc monimenta*: Scilicet *monita* ſalutaria.

a *Avertent ſenſus* &c. Cellarius, plaudente Bunemanno ſic iſta expoſuit: *Hæc Crucis meæ monimenta, ſic ſenſus tuos, caducis rebus adhærentes, avertent a vanitate mundi*; Sed Noſtri mentem non eſt aſſecutus; hæc enim eſt plana horum carminum explanatio: *Hæc monita ſi avertent ſenſus tuos, amicos orbis labilis, ab umbra fugiente decoris mundani: efficient, ne captus ſpe mobilis fortunæ, auſis fidere rebus occiduis, aut ſperare in fugacibus annis vitæ TEMPORALIS*. Sæpe in Lactantii operibus hujuſmodi documenta reperies, qui in primo ſuæ ſcriptionis exordio Demetrianum alloquens ait *Cap. I. Seg. 6. de OPIF. DEI. Ideoque te moneo repetens iterumque, iterumque monebo, ne oblectamenta iſta terræ pro magnis, aut veris bonis habere te credas, quæ ſunt non tantum fallacia, quia dubia; verum etiam inſidioſa, quia dulcia* Bun. nobiſcum legit: *vitam*. Al. *vitæ* Al. *vita*.

a *Auſis*: Al. *Auſeris*. Quæ lectio corrupta oſtenditur a particula *ne* præcedenti. Virgil. II. Georg. ℣. 289. *Au-*

Hæc monimenta [a] *tuos ſi labilis orbis amicos*
Avertent ſenſus [a] *fugiente decoris ab umbra*
Mundani, efficient, ne ſpe captatus inani
Mobilis occiduis fortunæ fidere rebus
Auſis [a] *aut vitam ſperare fugacibus annis.*
Sed te nimirum [a] *ſic iſta caduca videntem* [b]
Se-

Auſim vel tenui vitem committere ſulco.
Modus autem Lactantianæ locutionis non novus eſt; & memini quid ſimile me aliquando legiſſe.

a *Sed te nimirum* &c. I. d. *Sed eadem monita, ſine dubio, extollent te: ſic amore patriæ melioris videntem iſta caduca ſæcula, & exutum opes orbis, & rerum uſus, & vota priorum, ſacris moribus fovebunt te ſpe vitæ beatæ, & paſcent te inter poenas rore Cæleſti, & dulcedine boni pacti.* Hæc Lactantius pluries inculcat ſuis in operibus, præſertim vero Lib. VI. Cap. III. ſeqq.

b *Sic iſta caduca videntem*: Intellige, *deſpicientem*, ob particulam *ſic*, quæ ſenſum determinat.

a *Exutum* 71. *Orbis opes* &c. Verbum *exuo* accuſativo eleganter jungitur. Tibullus *Lib. I. Eleg. IV.* V. 35.

Crudeles Divi, ſerpens novus exuit annos.

Et Ovidius III. *de Arte Am.*

Anguibus exuitur tenui cum pelle Senectus.

a *Vota priorum*. Al. *piorum*; Sed male; nam de vana hominum gloria, ac de inſatiabili honoris, ac dignitatis deſiderio loquitur, quo Ethnicorum plerique omnes, qui pro Heroibus ſunt habiti, maximopere flagrabant. *Mor-*

Secula, & exutum patriæ melioris amore
Orbis opes [a], *rerumque usus, & vota priorum:*
Moribus extollent sacris [a], *vitæque beata*
Spe, duras inter pœnas [a], *e rore fovebunt*
Cælesti [a], *pactique boni* [b] *dulcedine pascent.*
Pur-

---

a *Moribus extollent sacris.* Al. *extollens*: Heum. *expolient* sine sensu. *Moribus sacris extollere*: phrasis est, qua veteres Christiani cultu religioso dignos censebant eos, qui pœnas, aut mortem pro Christi fide servanda, tuendisque virtutibus, subeuntes, *Professorum*, *Confessorum*, & *Martyrum* titulo, non privato dumtaxat; sed publico Ecclesiæ judicio decorabantur. Vide Diss. XXXII. Cap. III. §. I. seqq.

a *Spe, duras inter pœnas* &c. Sic Jobo, viro patientissimo suis in tribulationibus contigit, cujus spes tanta erat, ut exclamaret Cap. XIII. ℣. 15. *Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo.*

a *Cælesti*: Scilicet *dulcedine*. Al. *Cælestis*. I. E. *Boni*.

b *Pactique boni* &c. Al. *pratique boni*. Pessime. Sensus enim est, quod ii, qui propter justitiam persecutiones patiuntur, ac spretis mundi deliciis Deo serviunt, etiam in hac vita quandam participationem æternæ beatitudinis persentiscunt, quam Deus diligentibus se data fide spopondit. Eam quum David aliquando gustasset: *Quam magna*, inquit, *multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti diligentibus te*. Psal. XXXIII. ℣. 20. & Socios sibi adjungi desiderans: *Gustate*, ait, *& videte, quam suavis est Dominus. Beatus vir, qui sperat in eo*. Idem ℣. 9.

a *Pur-*

Purpuream donec [a], *poſt ultima fata relicto*
Corpore [b], *ſublimes animam revocabit ad auras*
Gratia magna [a] *Dei. Tunc omnem* [b] *exuta laborem*,

An-

---

a *Purpuream donec* &c. Animam heic purpuream Lactantius appellat, quaſi proprio ſui corporis, ac Chriſti Domini pretioſo ſanguine, quo redempti ſumus, reſperſa. Virgilium imitatus, qui alio ſenſu ait *Æn. Lib. IX.* ℣.349.

Purpuream vomit ille animam &c.

b *Relicto 76. corpore* &c. Animam non ſtatim judicari poſt mortem Lactantius docuiſſe videtur lib. VII. Cap. XXI. Seg. 7., ut diximus Lib. III. Cap. XIX. Seg. 3. agentes adverſus Galleum. Quo tamen ſenſu exponenda ſint Noſtri verba, quæ habet Lib. VII. cap. XXI. Seg. 7., ex iis, quæ heic tradit, & ex ibidem indicatis patebit Diſſ. XXV. cap. IX. §. XIV.

a *Gratia magna Dei*. Al. pro *Dei* habent *tibi*. Gratia Dei magna ſumitur heic pro benigna illa, ac beneficentiſſima divina voluntate, qua ii omnes, qui ſalvi fiunt, æterna beatitate donantur. Si vero uſurparetur pro ut contraponitur *Gratiæ parvæ*, quæ ſecundum Auguſtini phraſim, *dat homini voluntatem bonam; ſed parvam, & invalidam* Lib. de Grat., & Lib. Arbitr. c. XVII. Tunc auxilium illud *actuale* ſignificaret, quo id infallibiliter fit, quod fieri ab homine debet, & a ſcholaſticis *gratia efficax ab intrinſeco appellatur*. Cave tamen putes hinc colligi poſſe, gratiam parvam, non tribuere hominibus vires ad ſalu-

Angelicos tunc lætæ choros, acieſque beatas
Sanctorum inſpiciens, æternæ pacis amœna
Perpetuò felix mecum regnabit in aula [a].

ſalutem æternam conſequendam neceſſarias, aut gratiam magnam tollere ab electis peccandi poteſtatem; utroque enim modo non ſanam Auguſtini doctrinam; ſed damnatam Janſenii opinionem amplectereris, qui *Lib. II. de Gratia Chriſti cap. XXXII.* falſo aſſeruit: *Nullam gratiam actualem ab Auguſtino pro illa vera Chriſti gratia agnoſci, quam tamquam medicus infirmæ voluntatis attulit, niſi quæ agit, & peragit effectum. Omnis alia qualiſcumque fuerit, ab ipſo ad legem, doctrinamque relegatur.* Hæc enim de Auguſtini mente perſuaſio perverſa baſis eſt, & caput totius Janſeniani ſyſtematis, ut diſſ. XXXV. Cap. VIII. a §. v. demonſtravimus.

b *Tunc omnem* &c. 78. *Tunc lætæ.* Ejuſdem particulæ inanis repetio mihi heic ſuſpecta eſt; iccirco ſecundo loco legerem *quum*; ſed contra Mss., editorumque fidem, nihil immutandum.

a *Mecum regnabit in aula.* In Regno ſcilicet cæleſti, de quo ſcriptum eſt in Evangelio, Chriſtum Dominum Electis ſuis in extremo judicio eſſe dicturum Matth. XXV. 34. *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum a conſtitutione mundi.* Amen.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE 1004.638